ORATIONES DECEM CORAM PAULO 3. PONT. MAX. & REUERENDISSIMORUM CARDINALIUM...

Egidio Riccardi



ORATIONES DECEM CORAM PAVLO .III. PONT. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu per Fratrem Egidium Ricardum Sacre Theologiæ & Carmelitani instituti professorē habitæ.

1. De functione apostolica.
2. De regno Christi.
3. De gloria ciuitatis nouæ hierosolimæ.
4. De dignitate hominis.
5. De ecclesiastica unione & communione.
6. De sacerdotii dignitate.
7. De diuine uocis uirtute.
8. De diuini sapientia spiritus.
9. De inscrutabilibus uiis dei.
10. De fœcunda ecclesiæ sterilitate.



Venetiis M. D. XL.

FRATER EGIDIVS RICARDVS CARMELITA CANDIDO ET PIO LECTORI SALVTEM.

CVm orationes aliquot pbreues/pro meo munere/atq; usu Ro.curiæ,corã Paulo.III.Pont. Max.& Reuerendissimorum Cardinalium ordine habuissem, complures amici/tum literis/ tum pietate clari / eas quotidie a me / qui nihil tum noui in illis suspiciebam / extorquere conati sunt. Cumq; sæpius efflagitarent, ut quas uel audissent / uel legissent/eas inuulgari sinerem/quas tamen ego alioqui indignas iudicarem / quę in lucem prodirent/ & omnium iudicio exponerentur. Atq; contra illi contenderent,probari debere orbi Christiano/quod summis ipsius Christiani orbis principibus non ingratum extitit / tum ego fore perspexi/ut inuito me/ac reclamante/illę nõ sine plęrisq; mendis/ac proinde maiore meo periculo/ederentur. His accessit authoritas eius/& imperium/cui me/meaq; omnia debeo / cuiusq; non modo extant in Carmelitanam societatem / uerumetiam in Rem Pub. Christianam præclara merita. Quid facerem non habebam / Itaq; non tam illorum rationibus/& (ut ingenue uerum fatear) huius authoritate uictus / q̃ omnium impulsu,& ui coactus/citra arrogantiam cessi, & maius discrimen minori posthabendum ratus/doctiorum passus sum subire iudicium/quo aut monitus errata recognoscam/aut probatus / ad alia eaq; potiora contendam. Hoc autem te pręmoneo / lector optime / plęraq; in hisce meis esse oratiunculis siue enarra-

tiunculis mauis/quę nisi enarratorem potius theologum, q̃ oratorem spectes/te fortassis offendēt. Imprimis quorumdam/quę apud eximios illos romanę linguę principes non erant/ uocabulorum nouitas/nempe/Christi/ecclesię/euangelii aut similium/quę in eo significatu non habebantur. Sed hęc ipsa nouitas neminem mouerit qui rerum sua desiderantium uocabula/innouationem animaduerterit. Alia enim nunc/q̃ olim apud ueteres illos conspicitur, apud nos/religiōis/imperii/& ceremoniarum forma/unde nouis opus fuisse nominibus pspicuū est. Est & aliud/quod fateor/quodq; nemini offendiculo eē uelim/scilicet ī hac nr̃a opella/non ubiq; rethoricas leges ad amussim(ut dr̃)obseruari potuisse/tū qa genus hoc dicēdi iuxta sacrarū lr̃arum cōceptū ordinē/plęrumq; didascalicū est/& enarrationibus magis q̃ argumētatiōibus fluens/ tū qa pstrinximus illud/earū/quę p tēporis rōne in tēplis legunt̃/scripturarū angustiis/tū deniq; qa nōnūq̃ diui Pauli & euāgelii lectionē/cōmiscuimus/quę oīa exactā nō patiūt̃ rethoricarū legū obseruationē. Postremo ne qd amplius te offendat/nō p̄teribo q sup eodē(ubi gr̃a)euāgelio/differētiū subiectorū orōnes habuerim/id nō obesse ratus/q singula diuinę scripturę noīa singula exposcere subiecta existimē. Tametsi oīa ad unū ceu fontē refluūt/unūq; scopū respiciūt/a quo ēt mea subiecta/quātūcūq; uaria/nō abhorere/facile pspicies. Hęc uero quā quā p sua dignitate multomaximā orōnē requirebāt/eā tñ p rōne loci/& cōsessus/angustia tēporis exclusi/& scripturarū finibus cōclusi/p̄stare nō potuimus. Sumus hec breuiter p̄fati/ut qđ nō authoris arrogātia/sed amicoꝝ ipulsu/oībus p̄sertim theologis offert̃/citra offensionē(si uidebit̃) legas/boniq; cōsulas. Iteꝝ atq; iteꝝ bene uale. Anno. 1540

FRATRIS EGIDII RICARDI IN Ro. Curia procuratoris totius ordinis Carmelitarũ &. S. T. pfessoris de functione apostolica oratio. Coram Paulo. III. Pont. Max. & Reuerẽdissimorum Cardinalium cõsessu, dominica. 4. Quadragesimæ. Anni. 1535. habita.

EVangelicus sermo, qui instar uehementissimæ tubę auribus insonuit, & occulta quadã ui animos penetrauit, Beatissime Pater, salutis nostrę authorem trans lacum tiberiadis, sequutã se numerosam multitudinem satiasse commemorat. In cuius hystoriæ summa, diuinissimam Apostolici muneris functionem ob oculos positam existimo. Quare etsi nihil mihi polliceor, quod exequanda tantę rei magnitudine, tantiq; senatus, quo maior in terris esse non potest, expectatione dignum, afferre possim, operę tamen preciũ facturum me, sum arbitratus, si lectionis propositæ cancellos non multum egrediens, euãgelici Apostoliciq; muneris functionem, euãgelicis Apostolicisq; radiis illustratã ostendero. Ad quod, dum uires conatusq; admoueo, pertimescerem uehementer, nisi immenso maiestatis tuæ splendori, fœlicissimam humanitatem coniunctam uiderem. In quam, cum omnem dicendi fiduciam contulerim, cæptum sermonem, altiori principio repetam.

SI quid unq̃ humanarum rerũ, immortali deo curę fuisse credimus Patres Amplissimi, id Remp. Christianã potissimum esse arbitror. Quam Christus, Apostolici muneris functione, iis delegata, quos ad tanti ministerii celsi-

tudinem/gratuita electione parauerat/ita ornauit/ut nihil ea insignius, ita disposuit/ut nihil ordinatius, ita deniq; firmauit/ut nihil stabilius. Non est cum tanta diuinę libetalitatis munificentia/quod facile conferri possit. Quid enim ea diuinius? Quid/quod interim taceo, potentius? Qua factum est/ut ad cęlestis illius hierarchiæ similitudinē/ ecclesiam adhuc in terris decertantem/formatā perspiciamus. Nam quemadmodum inter beatos illos spiritus/talē in ea ordinem/diuina prouidentia constitutum legimus, ut qui perfectiore intelligentia excelluerint/in alios diuini luminis fontem transfundant, ita supremus ecclesiæ hierarcha/q in uices Christi/locumq; suffectus est/Apostolicæ functionis/qua omnibus ipse præest/& in omnes euangelicę lucis radios trāffert/ecclesiasticos proceres/& episcopos/participes efficit/ut pro suo quisq; munere ecclesiam sibi creditam illuminet. Est enim apostolici officii functio/spiritualium omnium administrationum/ueluti summa quædā perfectissima, & copiosissima plenitudo/qua/iuxta sanctissimum Dei Opt. Max. uerbum/resp. Christiana ita administratur/ut christus ipse nunq̄ ei deesse credatur. Ipsum nāq; seruatorem/ad consummationem usq; sęculi/suæ semper ecclesiæ ad futurū se promisisse nouimus. Verum idcirco nō nulli perniciosę nouitatis authores/ arrepta calumniandi ansa, neminem in uices/sedemq; eius/qui nunq̄ absit, succedere debere/ non modo non colligunt/sed suo se ense iugulantes/Apostolicæ functionis dignitatem multo insignius illustrant. Qui enim corpore absfuturus/pascēdum uice sua gregē/ Petro Apostolici ordinis capiti/incredibili sedulitate commendauit/& apostolis omnibus euangelicæ doctrinę/ministerium tradidit: is nihilominus omnibus spiri-

tu ſemper ſe adfuturum conteſtatus eſt. Itaq; multum abeſt, ut Apoſtolicus ille ſenatus, cui Chriſtus ſui numinis adflatu pręſidet, & quicunq; uere illum retulerit, ullo diuinis in rebus errore contaminari queat. Qua fiducia Apoſtolicam authoritatem Paulus eleuans, An experimentum (inquit) quęritis eius q in me loquitur Chriſti? Et ſcio (ait) q & ego ſpiritum Chriſti habeam. Atq; rurſus Apoſtolorum omnium nomine / q pro Chriſto non quouis mundi principe / oratores nouiq; teſtamenti, quo cœleſtium bonorum hereditas legata eſt / diſpēſatores agerent, fidentiſſime gloriatur. Quo fit, ut nō modo incomparabilem functionis huius magnitudinem extollat, uerumetiam temerarios Apoſtolicarum legum prævaricatores qui nō homines ſed Chriſtum ipſum offendant / acerrime confodiat. Proinde Moſes muſſitanti illi ceruicoſo populo. Quid (inquit) nos ſumus? nec cōtra nos eſt murmur ueſtrū, ſed cōtra dominū. Miniſterium tamen illud & magiſterium Moſi hoc multo erat inferius. Illud mortis erat, hoc uitalis ſpiritus, illud damnationis, hoc iuſticię, illud rei euacuandæ, hoc ſtabilis & ęternę. Verumtamen ea illud claritate fulſiſſe creditur ut omnē, hebreorū intuitū & aciem ipſe Moſi uultus intolerabili fulgore obſcurauerit. Huic igitur clarior multo, illuſtriorq; gloria & maieſtas debetur. Quid enim hoc eminentius, quo uiuum Chriſti uerbum proponitur? quo celeſtis theſaurus promittitur? quo ciuitatis dei fundamentum iacitur? quo deniq; qui fungitur / non cuiuis nationi / ſed regali cumprimis ſacerdotio & populo adquiſitionis pręficitur? Sed nunc demum / a tantę functionis diuinitate ad potentiam me confero. Qua factum eſt, ut docta illa ignorantia / & ſapiens (ut ita dicam) ſtultitia barbaras, & efferas

gentes/ac orbem fere uniuersum/non ferro, aut igne/sed oc culta quadam ui perdomuit. Nam & Paulus Apostolicæ militie arma, non carnalia sed spiritualia, & diuine esse uir tutis affirmat, quibus impiorum hominum consilia demo liri, altitudinem aduersus scientiam Dei se extollentem de primere, intellectum in obsequium Christi captiuum duce re, inobedientiã denique iustę ultioni subiicere ualeat. Hęc ad uindictam ipse admouit, dum incestuosum scortatoré, & Hymeneũ, ac Alexãdrum blasphemos sathanę tradidit: Quæ potestas uere Apostolica utinam non superfluo usu aliquando uilesceret. Sequit dum Elimam uerbo ueritatis contradicentem / & procõsulem a fide conantem euertere/ cęcitate percussit. Petrus autem quid ipse posset, aperte de clarauit/dum gladium spiritus arripiens / Ananiam & Saphiram / qui spirituisancto mentiti fuerant, morte damna uit. Commemorare possem alia innumera in hanc senten tiam / quæ omnia nascentis ecclesie exordio, & pullulantis fidei incremẽto / & astruendę Apostolicæ authoritatis testi monio conueniebant. Quo circa, cũ euãgelica administra tione nihil aut diuinius, aut potẽtius in terris haberi possit/ summa sapientiã prouisum est/ut ei tantũ qui religione/pie tate/doctrina/prudentia/innocẽtia/magnanimitate / tole rantia ecclesię cõmendatus fuerit/tã sublime ministeriũ de legetur. At in apostolicas & Christiane Reip. administra tore dignas uirtutes incidit oratio/quarũ imaginem in euã gelio elucescere uideo. Quid enim est, quod Iesus abiit? quid quod lacum transiit? quid quod eum multitudo sequitur? quid quod in monté se recipit? nisi quod hęc omnia Aplica quedã munia ec clesiasticasque administrationes/in specie pponunt, quã singu latim per euãgelicę lectionis exordio quam paucissimis pstringã.

Ad Apostolici

AD Apostolici muneris functionem, qua una Christiano populo præsideris Patres Amplissimi, cœlesté illũ magistrum nõ modo præceptis / sed suorũ etiam factorum imagine / uos formasse, atq; hoc a uobis exquisiuisse non ignoratis, ut uestre dignitatis amplitudinem non minoribus officiis & uirtutibus illustretis. Qui (ut ab euangelio non dimouear) dum abiisse describitur, hanc a uobis animi magnitudinem exegisse creditur, ut rebus nõ solum priuatis omnibus / uerum iis etiam / quæ uulgo eximię & præclarę uidentur / contemptis / ad uere magnas & laborum ac periculorum plenas studium conuertatis. Itaq; in iis totius spiritalis exitus summa / quæ apostolicum munus cõmendat / consistere dignoscitur, ut imprimis a pręstigiosis uoluptatibus animum ita abdicetis, ut in earum despicientia magnam uoluptatis partem constituatis, Ita fluxas & fortunæ ludibrio subiectas opes aspernemini / ut nihil magis q̃ animorũ lucrum / ad quod summa dimicatione debetis contendere / & Christianam paupertatem ueris diuitiis annumeretis, Ita fallacem hanc gloriam execremini / ut eam solam quę in rerum benegestarum claritudine / & magnis de ecclesia meritis sita est / non secus amplectamini / q̃ ut eam rursus in pręceptorem referatis, Ita uitam omnibus natura carissimam / ipsi natura superiores / paruifaciatis / ut eam pro salute subditorum profundere non formidetis. Sic enim non modo ex rerum externarum omnium sollicitudine & affectu / sed ex sui etiam amore abeundum esse non dubitatis. Cuius rei cum ex scripturarum fontibus locupletissimam exemplorum copiam hauriatis / duo tantum paucis attingam quæ ad illustrãdam apostolicam functionem / potissimũ spectare uidentur. Paulus enim quo nemo

efficacius Apostolica munia expressit / tanta fortitudine affectum sui euicit / tanto zelo fratres prosequutus est / ut anathema pro eis a Christo fieri optauerit, & cũ gentium esset Apostolus / ita ministeriũ Apostolicum amplificauit / ut ad earum emulationem etiam sanguinis cognatiõe iunctos / non sine capitis periculo allicere studuerit. Et (ut antiquitatem illam qua Christiana pietas adumbrata est nõ prętercam) Moses in quo Apostolici muneris species reluxit / in tantam sui obliuionem deuenit / ut pro salute gentis suæ deleri e libro uitæ uoluerit. Tanto animi splendore / tanto robore / tanta caritate / uestram dignitatem insigniri oportet. Sed præterea hoc Christum a uobis expetere facile colligitis, ut mare secum transeatis, idest summopere ad hoc incumbatis, ut malorum omnium in Christianam Remp. insurgẽtium tempestatem & inundationem / nunc maxime seuientem / magnitudine animi & tolerantia superetis, & omni fortunæ impetu / omniq; formidine superiores, nullo malorum genere ab euangelici muneris functione deterreamini, sed ad omnia pericula principes uos præstetis. Quod Apostolos omnes fecisse / cum turbulentius erat fidei negotium / Mosen uero prælusisse nouistis, qui cõtemptis persequutionum & aduersitatum omnium procellis / per mare perq; inuiam solitudinem electum Dei populum duxisse legitur. Porro hic ut olim Mosen / mox Christum / nunc uos patres Amplissimi / & te potissimũ Beatissime Pater / sequitur / ab ore pręsidiisq; uestris pendens / atq; hoc expectans / ut insipientibus magistros / cęcis duces / egrotis animis medicos / errabundis pastores / dissidentibus iudices / omnibus patres uos ipsi prębeatis, eosq; pręstetis / in quibus religionis uenustatem / pietatis simulachrum / ca-

ſtimonie ſpecimẽ/humilitatis decorem/ uirtutum omnium ſpeculum aſpicientes/ueſtri potiſſimũ imitatione erudiantur. In cuius formam qui Apoſtolos agitis/ſecum in montem Chriſtus ſubire uoluit. Montis enim nomine intelligitur cœleſtium myſteriorum ſublimitas/quam uerbo docetis,Æternarum rerum meditatio,ad quam exemplo turbam inſtituitis,perpetuarum deniq; uigiliarum ſpecula, in qua pro grege excubias agitis, ut tempeſtatem ſiue ab hominum iniuria, ſiue a dei uindictam imminentem, ex alto proſpicientes, ſonitu buccinæ populum moueatis, & inſtar Moſi orationis præſidio armetis, qui in colle precationi deditus iſraelitis obtinuit,ut clementiſſimi dei benignitate hoſtiles copias delerent. Hæc nimirum cõmunia ſunt Apoſtolorum & ueſtra officia cõmuneſq; uirtutes de quibus ex euangelio dicendum fuerat. Nunc quod ex eo ſuper eſt de precipua eccleſie procerum functione quam breuiſſime abſoluam.

ECcleſiaſticæ diſpenſationis imago,quam in diuinis libris contemplamur patres ampliſſimi,uos Chriſtianę familiæ ad hoc fidos prudenteſq; æconomos pręfectos eſſe declarat, ut Euangelicæ doctrinæ cibum a Chriſto diuinitus auctum, hoc eſt ad multorum ſalutem uobis creditũ, inſtar Apoſtolorum in eam diſtribuatis. Veſtrum enim eſt paruulis,& iuxta ſęculum humilibus ac abiectis, quibus deus archanorum ſuorum profunditatem aperire dignatur,efflagitatum panem larga liberalitate frangere,& magna ſedulitate cõmiſſum uobis gregem paſcere,ne cum peruerſo illo ſeruo qui talentum quod pro Apoſtolico ſibi incumbente officio lucro & uſuræ exponere debuerat/in ter

ram defodisse legitur, seueræ increpationis iudicium subi-
re cogamini, nimirum quia illud prȩterientis, quod non mi
nus ad omnium salutem q̄ uestram functionem, pertinere
dignoscitur. Panis enim diuinæ sapientiæ ab authore sa-
lutis traditus, si quando in intimos animorum recessus tra
iicitur, fide eos transformat, in deorum immortalium con
sortium rapit, & diuinitatis participes efficit. Quem pro
Apostolico muuere ab omni sinistrȩ interpretationis, & he
reticæ deprauationis letali ueneno in natiua & salutari
puritate seruatum, in electos dei filios dispensare debetis.
Quod quidem (ut innumera testimonia prȩteream) ex eo
facile prospicere possumus, quia (uti apud prophetam est)
qui cœlestem hanc scientiam negligit, sacerdotii functio-
ne indignus a deo repellitur, quodq; Paulus Timotheum
ab infantia sacris literis instructum, eo nomine dignum
euangelico munere cōmendat. Id quod ut exacte præsta
re possent, Episcopos qui soli deo militare debent, a pro-
phanarū rerum administratione liberos esse uoluit. Quam
obrem olim ad amplificandam ecclesiasticæ functionis di
gnitatem, Apostolico decreto sancitum legimus / ut qui ad
eam admitterentur, prius ab humanis literis & scientiis,
quibus hactenus satoperæ nauarant, ad diuinam hanc phi
losophiam studium animumq; traducerent. Fieri enim nō
potest, ut qui cœleste hoc pabulum a Christo non accepe-
runt, ueros pastores prȩstent, si quidem is solus illud largiri
potest. Vnde & Moses cum manna illud mysticum non
certe aliud q̄ Christianam doctrinam Apostolica functio-
ne dispensandam præferens cȩlitus depluisset. Hic inquit
est panis quem Dominus dedit ad uescendum. Vobis igi-
tur quos suæ familiæ æconomos Christus præposuit, in

hoc incumbendum est,ut ea faciata,spiritualium ciborum reliquias ne pereant, & instar mannæ illius cōputrescant, colligatis,& summa ueneratione obseruetis. Nam in dominica mensa,cui ministratis, neq; apex unus, neq; fragmentum proponitur,quod non singularem Apostolici muneris functionem exigat. Cuius cum penes te Beatissime Pater summa tota consistat,tuoq; nutu & imperio dirigatur, in Christianū populū, qui incredibili auiditate tuam clementiam sequitur, maiestatemq; adorat,oculos attollere dignaberis. Is enim longa inedia fractus,& peregrinationis huius molestia fatigatus, idē a te quod olim a Christo, nempe alimoniam consolationemq; certa fiducia expectat. Quam a te facile adipiscetur,qui uerbi Dei ministerium inter Apostolicas partes maxime desideratum, suprema euangelici muneris functione & authoritate, qua orbem totum complecteris, per fidos delectosq; distributionis huius ministros fœliciter propagabis,ut Resp. Christiana que eo coaluit aduersus subdolas hereticorum imposturas, & infestos paganorum insultus in stabilitate persistat. Quam ut domi forisq; afflictam & oppressam, in ueterem dignitatem & libertatem reuoces, Deus Opt. Max. consiliorum tuorum moderatorem, & animi tui sapientissimi confirmatorem se tibi præbeat, Ac post diuturnam hilaremq; senectam, purpuream immortalitatis rosam largiatur.

EIVSDEM DE REGNO CHRISTI Oratio Coram ipso Paulo .III. Pontifice Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica. 4. aduentus anni. 1535. habita.

SI iis de rebus quæ humanum terrere solent ingenium, exacte dicendum esset. B. P. æterno & insuperabili regno Christi cuius in euangelicę lectionis serie speciem non obscuram intueri licet, non postremas orationis partes tribui debere facile existimarem. Quorsum enim antiquum illud Romanum Imperium ad omnes mundi regiones propagatum, uetus sacerdotium ad nouæ legis radios occidens, uox in solitudine clamãtis, & diuinum Esayæ uaticinium, nisi ad regni Christi magnitudinem exprimendam, celsitudinem firmandam, dignitatẽ deniq; instaurandã attinent? Quæ pro excellentia & copia rerum, quicunq; absoluta dexteritate sit explicaturus, scientiarum omnium fontem, & totius eloquentiæ torrentem, ab immortali deo sibi dari merito optauerit, Ego uero, cum dicendi munus mihi incumberet, idq; ad immensum huius materiæ pelagus conferre statuissem, admodum ueritus ne conatum successus destitueret, hoc solum mihi faciundum proposui, ut e multis pauca quædam obiter attingam. Quamobrem tua clementia. B. P. qui proximus Christo sedes in regni solio, ac uestra beneuolentia fretus cæteri huius regni clarissimi principes, diuini numinis præsidio rem ipsam aggrediar.

CVm supremus ille rerum opifex uniuersam mundi fabricam/summa & incōprehensibili prouidentia inhabitet moueat & disponat, regnū in ea quoddā statuisse uidetur, quod ab immutabili eius consilio totum pendeat, & diuinam quandā uim ceu numē aliquod occultū exprimat. Verum etsi immensa dei maiestas cōditis rebus ipsis inesse dignoscitur, non tamen eadem in omnibus ratione sedem constituisse creditur. Nam quæ intelligentiæ sunt participes iis dumtaxat uiuam diuinæ naturæ similitudinem, de suæ mentis Archetypo impressit. Quos uero ante mundi originem delectos, tandē inuisibili semine mirabiliter procreauit, iis intimum bonitatis suæ spiritū uelut pręcipuum quendā amorē ingenerauit, & filium suū seruatorē omniū peculiari quodā iure in eis regnare uoluit. Quod cū cœlestia priscorū uatū oracula plęrisq; modis astruerēt, crassum illud hebreorū genus, sceptrū Iudæ, soliū Dauidis, & regnū Christi quod a mundi præsidiis robur haberet, animo uolutabat. Verumtamen id aliud non esse diuinarū scripturarū testimonia subiudicant, q̄ delectum & gratū deo populum quem totius author salutis a patre sibi creditum ex seruitute in libertatem asciuit, atq; in ius suum uendicauit. O miram dei Opt. Max. clementiā meritis omnibus superiorē. O immensum inauditę liberalitatis beneficiū cunctis obuium. O inexhaustum diuinæ bonitatis fontem/in homines mortales effusum/quos humi repentes immo ad humū ipsam properantes/in deos transformauit/& regnum suū cœleste & spiritale esse uoluit. Nam & in exodo qui uoci immortalis dei paruerint pactumq; eius seruauerint/regnū fore dicuntur. Et alibi uigintiquattuor seniores clementissimo regi Christo gratias agere describuntur/ꝙ eos sangui

ne redemptos/non solum in regnum delegerit, uerumetiam regnandi super terrā eximia potestate donauerit. Quippe quos liberam & regalem uitam agentes/compressa hostis nequissimi tyrannide/in ipsa etiam militia regnare uoluit. Sed quia hac de re non nisi ut euangelico sermone exprimitur/agere constitui/ad euangeliū ipsum fluat oratio.

TIberio Cęsare quintumdecimum imperii annum agēte/& Anna atq; Caypha principatu sacerdotum fungentibus, factum fuisse uerbum domini super Iohannē Zachariæ filium in deserto Lucas testatur. Qui gloriosissimū Christi regnum descripturus/ueteris Romani imperii meminisse creditur/ut alterum alteri conferens eorum differētiæ ac similitudinis rationem, intelligentiæ nostræ proponeret. Nam (ut interim Christianum imperium silentio pręhtereā) antiquum illud omnino caducum erat, & breui interiturum, Regnum uero Christi solidum & ęternum, illud ferro uiolentiaq; partum, hoc lenitate clementia & mansuetudine quęsitum, Illud uanis mundi pręsidiis innixum/hoc cœlestis patrocinii robore firmatum, Illud legibus humana proditis industria administratum/hoc decretis e diuinæ mentis archano depromptis stabilitum, Illud ad modicam Reip. trāquilitatem & perituram mundi fœlicitatem contendens/hoc ad eximiam Christianę uitæ pietatem & inexhaustū uerę beatitudinis fontem prouehens. In hoc tamen utriusq; discrimine hanc etiam utriusq; similitudinem perspicimus/ꝙ ipsius Romani imperii coruscāte uictoria, Christi quoq; regnum omnes mundi nationes siue ad interitum pro humanorum operum merito/siue ad salutem pro immenso diuini muneris beneficio/sibi uendicare

dicare

dicare cœpit, & illos quidẽ ad iusti iudicii carcerem/hos ue ro ad misericordiæ regnum rex ipse pertinere uoluit: quos unius lauachri mysteriis iniciatos/ uno uerbo uegetos/uno spiritu fœcundos/ad unam supremi patris hereditatem uo catos/in unum regni corpus insitos credimus. Non tamen propterea omnes hic dignitate aut officiis pares esse putemus, Quod si qui impia temeritate & temeraria impie tate omnia confundere molientes asseuerare non uerent. ii in spiritali perinde ac mundi regno uarios ordines & suã cuiq; dignitatem esse debere animaduertant. Alioqui si sa cra & prophana omnia permiscuerimus/& ecclesiasticum statum & disciplinam sustulerimus/quid aliud quęso erit re gnum Christi q̃ cõfusa quędam hominum turba inter sese tumultuantium suoq; arbitrio uiuentium? Possem ad hoc innumera scripturarum testimonia producere/unicum tamen & quidem irrefragabilem Apostolum Paulum suffice re arbitror/qui ipsum Christi regnum mysticum quoddam ceu corpus constituens/membris in eo singulis officia singula distribuit. Alios enim qui religioni & sacris præsint/ alios qui ciuili hominum societati præsideant/alios deniq; qui his uti decet/obtemperent/esse oportet. Ex iis autẽ primum illum eundemq; supremum ordinem hierarchicũ esse perspicuum est/ In quo post summum ecclesiæ hierarcham/præsides & senatores ad hoc diuinitus uos constitutos memineritis P. Amp. ut dei uoluntatem populo referatis, ipsos mundi principes sapientiã in mysterio reconditã doceatis, euangelicã libertatẽ & publicã salutem tueamini uosq; uita simul & doctrina eos pręstetis ut Christiani prin cipes qui in proximo regni ordine primatum obtinent, ue stra sequentes uestigia regnum ipsum seruare & propagare

non desinant. In hoc enim illi unguntur & consecrantur, ut ad supremi regis gloriam militare studium conferant. Is etenim (ut ad Euangeliũ reuertamur) regali hebreorũ sceptro, ad alienarũ gentiũ tetrarchas præsidesq; translato, legis sacerdotiũ aduentus sui splendore obscurauit, & romanũ imperiũ multiformi Danielis statua designatũ contriuit, hoc est a patriis legibus & ritibus in suã religionẽ suaq; decreta pertraxit, & inuisibili diuinitatis luce perfusum, totum seipso maius & illustrius effecit, ut regnũ suũ ab æquo iustoq; deuium legibus, & institutis formaret. Quod ex proxima euangelii parte q̃ paucissimis explicare conabor.

MIrificum illum regis ęterni præconẽ Iohannem Zachariæ filium una cum Esaiæ oraculo, in restituendę Christianę Reip. speculũ uobis propositũ uidetis. P. Amp. Qui non in aula regia ubi luxu diffluere & opibus splendere potuisset, sed in solitudine Mosen & Helyam referens, incomparabile uerbi dei munus accipere & dispensare promeruit. Quo fit, ut imprimis humanarũ rerũ contemptum & dignã uestra authoritate uitã, ac euangelicũ ministerium magnopere uobis cõmendatum intelligatis. Deinde non temere testimonium Christo daturus in mediũ prosiliens, ambitionẽ omnẽ qua nulla in regno Christi pestis exitialior esse potest, aperte damnauit, ueniensq; in omnẽ regionem Iordani finitimã nunc legis rigore terrorum fulgura iaculans, nunc euangelii gratia cunctis qui pœnitudinẽ facto exprimerent flagitiorũ condonationẽ adnuncians, ac modis omnibus ad Christũ excitans uobis quoq; id oneris incumbere subindicauit. Post hęc autẽ ut ecclesiæ præsules & ipsos cũprimis Episcopos in quibus omnis diuinarum

legum inſcitia perniciosiſſima eſt,ab ocio & luxu ad ſacrarũ literarũ ſtudia reuocaret, ex Eſaya teſtimoniũ proferre non dubitauit. Quo & inanem uulgi de ſe opinionem correxit & miniſterii potius q̃ dignitatis habendam rationẽ docuit. Scriptum eſt(inquit)in libro ſermonũ Eſaye prophetæ. Vox clamantis in deſerto parate uiam Domini rectas facite ſemitas eius. Omnis uallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in uias planas, & uidebit omnis caro ſalutare Dei. Non aliud(ait)eſſe me arbitremini q̃ uocem in deſerto clamantis,fide peruium facite animũ euangelicæ pietati,qua Chriſtus recipitur,& obliquas cogitationũ & operũ ſemitas ad rectitudinẽ componite. Quod cũ ad omnes ad uos tamen pręcipue quibus aliena credita ſalus eſt,ſpectare ſciatis,cauendum animaduertite,ne peſtilenti exemplo uel incuria aduerſis poteſtatibus non Chriſto ad ſubditos iter ſtruatis. Valles quidem, id eſt humiles ſibiq; diffiſos & diſplicentes animos ueſtro miniſterio diuinæ plenitudinis participes Chriſtus efficiet.Montes uero,hoc eſt,turpitudinis uel facinorũ audacia,generis uel fortunarum iactantia,legis aut ſacrificiorũ fiducia,tumidos humiliabit. Itaq; uobis qui ſummo ipſi hierarchæ aſſidetis inſpiciendũ eſſe Iohannes oſtendit ne prodigioſa quædam ſcelera in altitudinẽ montium excreſcant, regnetq; in regni Chriſti proceribus,pro religione impietas,pro caritate odiũ, pro beneficentia cupiditas,pro moderatione ſuperbia,& luxus,pro eccleſiaſtica diſciplina pernicioſa libertas. Cæterũ ſummopere curandum eſſe monuit, ut ſic praua omnia & tortuoſa quæ ipſum Chriſti regnum deformant reſcindantur, ne quid ſit in eo prępoſterum,ne regni inſignia ſine uirtutum

meritis teneantur, neue ecclesiæ defensio ambitionem, ius uiolentiam iusticia tirannidē, sanctimonia superstitionē, pietas quęstum iniquo prętextu operiant. Ita demum ad aspera omnia cōplananda manum admoueatis ut immoderatam omnem seueritatem cum lenitate & mansuetudine commutetis. Quo fiet, ut rex ipse in quo omnis humanæ salutis sita spes est, omni homini, qui sine dei spiritu nihil nisi caro est, conspiciendum se prębreat, totumq; regnū suum omni malorum sentina purgatum in suam dignitatem restituat. Hæc omnia eo tendunt P. Amp. ut uestrę dignitatis rationem rebus in omnibus habeatis, qui in gloriosissimo Christi regno uelut lucentissima, in cœlo sidera nocturnam errorum caliginem dispellere, & cœlestes illos spiritus imitari debetis. Quemadmodum enim illi immortali deo proximi, reconditæ ueritatis lucem & diuini amoris æstum in alios transfundunt, ita nimirum & uos supremo hierarchæ semper assistentes, recęptum ab eo euangelicæ doctrinæ fulgorem & flagrantissime caritatis influxum, ad cęteros regni ordines transmittere studeatis. Tu uero .B.P. qui regni Christi sceptrum & claues diuinitus tenes, totius orbis moderatorem te esse reipsa declaras, cuius immenso maiestatis culmine, sicut nihil sublimius esse credimus, ita nihil fœlicius experimur. Tuo namq; potissimum tempore duos regni Christi ordines, ecclesiasticam dico hierarchiam & Christianum Imperium, duo maxima mundi lumina, ita coniuncta uidemus, ut nihil quod ad augendæ Christianæ Reip. studium attinet, desiderari possit. Quo fit ut sperare liceat integerrimi & sapientissimi animi tui uirtute & magnitudine breui futurum, ut regnum ipsum cum pristino splendore, optata ubiq; terrarum &

gentium suscipiet incrementa. In hoc enim tantæ celsitu-
dinis fastigio & fœlicitatis cumulo consti tutus, reges ac cę
teros principes quos domi concordes & foris strenuos
esse decet, in fœlicissimo pacis studio conserues, & ad re-
rum præclare gestarum imitationem modis omnibus hor-
taris, ut dum illi externa mala depellunt, tu Iohannem imi
tatus domestica deturbes, Atq; omnibus ad euangelicæ ue
ritatis trutinam pensatis, bello huic intestino quo eccle-
siam discerpi & religionem periclitari uidemus, finem im-
ponas. Quo fiet ut regnum ipsum quod nos sumus, sudore
& sanguine quęsitũ, nõ modo sis conseruaturus, uerũetiam
propagaturus, ad Dei Optimi Maximi gloriam & perpe-
tuum nominis tui monimentum.

EIVSDEM DE GLORIA CIVITATIS
nouæ Hierosolimæ oratio Coram ipso Paulo Tertio Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica. 4. quadragesimæ anni. 1536. habita.

QVæ religiosis hodie sacrisq; ceremoniis in oculos omnium, conspectumq; exposita sunt. B. P. incredibilem quandam leticiam mentibus ingerere uidentur. Nam (ut alia huius diei mysteria silentio præteream) Paulus ille gentium doctor egregius, incomparabilem nouæ ciuitatis hierosolimæ gloriam, hodierna doctrina proposuit. De qua succincte pauca dicturus, nō solum animo cōmoueor uerū etiam toto corpore perhorresco. Neq; enim is sum qui tantæ rei copiam eloquentia consequi, magnitudinē doctrina æquare/nodos oratione dissoluere, pondus deniq; uiribus sustinere possim. Huc accedit diuinissima loci huius authoritas & altitudo, ad quā nulla ingenii ubertas, nulla dicendi uis assurgere ualeat. Quare ut ipsius rei difficultatē imminuā, inter sex millia quæ dicenda, demonstrāda, explicādaq; essent, ea solū attingā quæ hodiernę fuerint Epistolæ uiciniora. Interim languidas animi uires eriget istud tuum pectus apostolicæ pietatis & clementiæ locupletissimum, uestraq; omniū testatissima humanitas. Qua subleuatus dicendi exordium statuo.

RES admodum exigua, facile uideri posset ciuitatis cuiuspiā descriptio P. Amp. si eā non potius diuinę consilio sapientię, q̄ humanæ mentis industria & ratione meti

remur. Noua uero hæc de qua loquimur hierosolima, omnem humanã uim & cogitationẽ exuperat. Huius enim si altitudinẽ intuemur, non modo cœlũ uertice attingit & sublimes illos spiritus sinu cõplectitur, sed etiã intimos inferorũ recessus pręsentia & robore penetrat. Si latitudinẽ perlustramus, mœnibus defendi non circumscribi, finibus omnia claudere non finiri, continere cuncta a nullo contineri potest. Si deniq; magnitudinẽ omnẽ attẽdimus, quicquid ei contuleris augustũ exiguũq; uidebitur. Hæc e patrio regno desiliens omnes orbis regiones, nationes omnes inaudita & incõparabili uirtute permouit, Imperiisq; ac uictoriis & triũphis clara semper & inclita, ferocissimas gentes, potentissimos populos, fortissimos reges, & inuictissimos Imperatores sibi subegit. Hanc Iohannes ille cœlestium archanorũ conscius, sanctã & nouã descendentẽ e cœlo a deo paratã sicut sponsam uiro suo adornatam, se uidisse testatur, quã & Paulus gloriosam & omnis maculę ac rugæ expertẽ descripsit. Ea siquidẽ supremi patris nata sinu cœloq; conscripta, cũ auiti generis splendore & cœlesti doctrina ac potestate in terras delapsa est. Quę adeo sancta est, ut prophanari non timeat, noua, ut uetustatis incõmoda nõ sentiat, Adeo parata, ut uilescere nequeat, Christo desponsata, ut errare modo aliquo nõ possit. Huius gloriam Paulus insinuans, q; non ad tractabilem ignẽ turbinemq;, sed ad ciuitatẽ dei uiuentis regenerati accesserimus, fidentissime gloriatur. Quæ ueterem illã hierosolymã innocuo Christi & prophetarũ cruore conspersam, quantũ excedat, facile explicari non potest. Illa enim angustissimis clausa finibus, uni dumtaxat genti dominabatur, hæc uero per latissimas omniũ terrarũ regiones diffusa, populis fere om

nibus & nationibus imperat, Illa sępenumero sub alienis gentibus & regibus intolerabile seruitutis iugum sustinuit, hæc ubiq; terrarũ & gentiũ perpetua spiritus libertate gaudet, Illa in captiuitatẽ redacta & innumeris calamitatibus contrita succubuit, hæc si quando aduersitatibus percussa fluctuauit, omnibus semper ac ipsis etiam portis inferorũ præualuit, Illa cũ sua religione & lege interire debuit, hæc nullum habitura finẽ ad immortalitatẽ quã proxime accedit. Hæc sane est cœlestis illa hierosolima ex ignitis uiuisq; lapidibus extructa, summo angulari lapidi uelut unico fundamento innixa, ceu immobile ueritatis firmamentũ erecta, angelorũ præsidiis ueluti muris circunsepta, apostolorum quoq; & uestris P. Amp. custodiis uigiliis excubiisq; credita. Dixi summatim multa, pauciora tamen q̃ debui, plura q̃ institui, non alia q̃ quibus ad intelligentiam Pauli opus esse perspexi, ad quem/e/uestigio iam propero.

PAulum Apostolũ Sarræ & Agar imagine, mõtis Sinę & hierosolymæ specie, superstitiosam hebreorũ Sinagogam & religiosam gentiũ ecclesiã figurasse audiuistis P. Amp. Cuius allegorię inuolucro duo testamenta duosq; populos, inter se dissidentes, & ad hereditatẽ diuersis uiis contendentes, haud dubie contineri intelligimus. Quorũ alterum ad ueterẽ & seruituti obnoxiam, alterũ ad nouam & liberam hierosolimã pertinere legimus. In hac uero innumeras gentes, eximia testamenta, inuiolatã ciuitatis libertatẽ, locupletissimã deniq; hereditatẽ intueri licet. Quorũ omnium uel curã uel dispensationẽ uobis delegatã nouimus. Omniũ namq; populorũ uobis credita salus est, quos aut domi quietos seruare, aut profugos uel extorres colligere, aut alienos ad cõmunem omniũ ciuitatẽ cuius custodia uo

bis

bis cōmiſſa eſt, non minus bene beateq; uiuendi exēplo, q̄ ſalutari doctrina adducere debetis. Sed & duo teſtamenta hoc eſt legis & Euangelii, maximi muneris loco accepiſtis, quo illud quidē carnis quā dicunt, hoc ſpiritus, illud operū, hoc fidei illud formidinis hoc amoris illud ſeruitutis hoc libertatis eſt. Quæ ita diſpenſanda eſſe non ignoratis ut infirmorū animos ab illo paulatim ad hoc tanq̄ ad ſummum perfectionis gradum inſtituatis. Ad hæc Paulus ciuitatem ipſam inſigni quadam libertate illuſtratam eſſe affirmat. Illa (ait) quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt. Illa (inquam) non quæ humo affixa eſt, & perpetua cum filiis ciuibuſq; ſuis ſeruitute premitur, ſed quæ ad cœleſtem & diuinam ſuā originē, animo & cogitatione rapitur, ſumma ſpiritus libertate potitur. Hanc uero libertatem in hoc ſitam eſſe ſacrarum ſctipturarum teſtimonia demonſtrant, ut a legis onere, tirannide, ſeruitute, & prçuaricatione, liberi uera caritate omniq; pietate perficiamur. Non enim a legis diſciplina & obſeruatione a qua & Paulus minime liberum ſe eſſe teſtatur, ſed a iugo legis, & dira execratione, nos Chriſtus exemit. Impii ergo & ſacrilegi quidam qui delubra demoliri, & ſacra omnia contaminare non uerentur, Euangelicam libertatē fruſtra nobis obiiciunt. Quaſi uero in hoc ipſa conſiſtat ut extra omnē legē pro ueſtræ uoluntatis diſpoſitione uiuamus, & Chriſtianā libertatē ad arbitrii noſtri libidinē detorqueamus. Quin potius ut lege inſtructi & formati, ſummota legis ſeruitute ad caput legis Chriſtū, ſummumq; uirtutis apicem libere proficiſcamur. Non enim obſtricto ſeruituti animo, ſed mente libera ad cœleſtem hereditatē uere cōtenditur, In cuius rei argumentum Hiſmael ancillæ filius id eſt ſeruili animo legi obno-

xius, ab hereditate repellitur, quam Isaac ex libera procreatus hoc est mente libera legis obseruationi deditus adipiscitur. Quamobrem uobis quos aliorũ doctores & pastores esse oportet, in hoc neruis omnibus incumbendum est, ut uestris legibus, institutis, & exemplis eruditi, nõ ancillę sed liberę, non carnis sed spiritus, non legis sed promissionis, non ueteris sed nouæ hierosolimæ filii & ciues euadamus. De cuius immensa magnitudine ac incomparabili pulchritudine & gloria plurimas inestimabilesq; dicendi rationes mihi propositas esse uideo, quæ ut uix ulla ingenii fœlicitate attingi ita & pro temporis angustia explicari non possunt. Quare ex innumeris quæ sese dicenda offerunt, ad copiosissimam splendidissimamq; ciuium propagationem breuibus explicandam me conuerto.

EXimius ille cœlestium mysteriorum propagator Paulus Apostolus, gloriosissimam ciuitatem de qua nobis sermo est, omnium amplissimam & incomparabili ciuium propagatione copiosam esse testatur, cum eam omnium parentem adpellare non dubitat. Peperit sane ab origine mundi parens ipsa fœcundissima, nouas principi & sponso suo Christo & fere innumeras creaturas, totq; sinu fouet quot orbis ipse maximus uix capere sufficiat, fœlices nimirum uos o tantæ parentis filii, fœliciores ciues, quorum numerus modum excedit, quorum splendor omne decus exuperat, qui sic in amplissima ciuitate degitis, ut nulla sedium angustia clausi, latissimas regiones perlustrare possitis, atq; ita in spaciosissimam uestræ unius patriæ latitudine uersamini, ut in una semper ciuitate esse uideamini. Quis explicare queat, qua caritate quibusue officiis ciuitatem, quo studio quoue amore patriam, qua deniq; pietate

parentem hanc prosequi conueniat, cui fidem & religionem qua diuinitus inbuti sumus acceptā referre debemus? Quis insuper leges sanctissimas, æquissima iudicia, sapientissimos magistratus, regiam libertatem, eximium splendorem, præclara munera, & diuinas prope dignitates pro meritis enarrabit? Sed redeo ad Paulum qui Esayæ testimonio desertam olim & sterilem gentium Ecclesia copulata uiro Sinagoga filiis ciuibusq; fœcundiorem esse affirmat. Quos Christus Princeps æternus cateruatim ad se properantes unam ipsam ciuitatem cui nichil præsidii & rerum ad ueram ueręq; Beatam uitam pertinentium deesset magna sedulitate collegit. Et ut uerum ac prouidum ciuitatis cuiuslibet principem in alendis fouendisq; ciuibus summopere liberalem esse decet, cum alias semper, tum presertim hodie se omni ex parte munificum exhibuit, dum afflictum inedia populum (ut hodierna Euangelii narrat hystoria) mirabili & inaudita liberalitate refecit. Idq; officium præstitit, quod a uobis quos in sua ciuitate pastores & Episcopos constituit, omni iure expetit. Nempe ut non modo Euangelicam doctrinam, cuius ministerium uobis delegauit, uerumetiam Ecclesiasticas opes quarum dispensatores uos esse uoluit, in uestros ciues dispensetis. Neq; enim ubi liberalis est Princeps œconomum tenacem esse conuenit. Quare ne eximia principis liberalitas ob oculos uobis posita uestram uel parcitatem uel illiberalitatem merito condemnet, occurrere debetis. Hæc omnia uos potissimum respiciunt P. Amp. Nam uos in lucem quæ ipsi nouæ ciuitati sponsæ suæ semper affulgeat Christus ciuibus aliis uos ceu proceres ac uere primates pręesse constituens, erexit. Itaq; ne quā illa caliginē induat, magnopere curandū est.

Si enim lumen quod in uobis esse debet, uertatur in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Salem quo Euangelicæ doctrinæ cibus ad salutē ciuium suorum cōdiatur, a uobis exigit, quapropter ne intereat ille aut dilutus fiat diligēter prouidendū. Si nāq; sal euanuerit in quo salietur? Ipsam in monte ciuitatē omnium cōspectui expositā uos præcipue esse uoluit. Vestræ igitur uirtutis erit ut in altitudinem uestram omniū oculos, quos fugere nō potestis, coniectos memineritis, eosq; uos semper præstetis, qui in communi omnium ciuitate, in quo positi estis principē locum merito tenere uideamini. Ad te tandē conuertor. B. P. qui cū in medio lapidū ignitorū sedens maximū ciuitatis Hierosolimæ pōdus sustineas, eū te in seruādis augēdisq; rebus exhibeas, ut nihil quod ad optimū principē attinere ualeat in te desiderari possit. Quo fit ut non modo ciues alii nouæ huius Hierosolimæ uirtutis tuæ magnitudinē admirētur atq; suspiciant, sed etiā ipsi qui proxime tibi assident optimates tui, te ut parentē ex animo uenerentur & colant, ac te huic sancto regimini pēsse diutissimeq; uiuere merito exoptēt. Id enim certa fiducia omnes a te expectant, ut qui summa sapientia & fœlicitate creditā tibi a Christo Hierosolimā in trāquillo statu hactenus seruasti, eā subortis quibuscūq; malorū procellis subleues, diuinæ lucis fulgore perfundas, cœlesti rore fœcūdes, numero ciuium augeas, collectis lapidibus instaures, salubri deniq; alimonia ac speciosa spiritalis lętitię rosa foueas ac semper exhilares. Quę omnia quia diuini esse muneris nō ignoramus, deū Opt. Max. oramus ut sanctissimis cōsiliis tuis adesse optimosq; conatus tuos ope sua prosequi & stabilire nō desinat, tibiq; quod assidue optamus & precamur longeuā fœlicemq; uitam cōseruet.

EIVSDEM DE DIGNITATE HOMInis oratio Coram ipso Paulo. III. Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, in die cinerum anni. 1537. habita.

QVi hodiernam dicendi prouinciam obire solent. B.P. eam ad calamitosam mortalis naturæ conditionem, intimamq́; sui inspectionem conuertere consueuere. Horum ego studium non tam Ecclesiacticis hodie sacrisq́; ritibus q̃ innumeris scripturarum sententiis quæ hominem rem esse uiribus, ueritate, uitaq́; ferme destitutam, ac imbecillitati uanitatiq́; abnoxiam attestantur, haud dubie commendandum arbitror. Nam & apud Euangelicum illum Æsaiam, Ægyptum hominem non deum, carnem non spiritũ, & in plęrisq́; aliorum uatum oraculis diuinisq́; eloquiis, hominem modo terram, puluerem, & cinerem, modo fœnum & abiectissimum quid adpellari comperimus. Quæ omnia ad eam qua homo a se pendere inq́; se consistere falso existimaretur, rationem, & ad infœlicem ex primo parente originem, qua natiuam peccandi uim atq́; libidinem & mala omnia traximus, non ad Dei Opt. Max. bonitatem quæ omnibus aliquam suæ naturæ lucem ceu numen infudit, referenda esse nouimus. Quamobrem operæ precium me facturum esse putaui si hoc mihi delegatum, non ultro susceptum, enarrandi potius q̃ orandi munus, præter ea ad mirabile hoc immortalis Dei opificium breuibus extendero.

ETsi cœlestes illos spiritus eminentioris naturæ, tum dignitate tum fœlicitate, rebus aliis præstare non dubitamus P. Amp. hominem tamen diuinum esse opificium, cœteris maiore dignum admiratione facile existimauero. Cum enim res alias aut spiritus omnino, aut corpora prorsus esse putemus, solum hominem, ex spiritu simul & corpore, illo quidē cœlestis, hoc terrestris naturæ, perpetuo amoris uinculo iunctis, mirabiliter constare uidemus. Quo fit ut quæ maxime distare nouimus, ignem ac cinerem, spiritum ac puluerem cœlum ac terram, in unum coire non sine admiratione, conspiciamus. Huc accedit q incomparabile hoc opificium aduersis lationibus obnoxium esse, id est sursum deorsumq; ferri intuemur, dum animo illud ad cœlestem & supernam originem contendere, corpore uero ponderosam infimamq; terræ molem petere uidemus. Verum alia quæ magis suspicere debeamus in diuinis libris recondita animaduerto. Eximius enim ille cœlestium mysteriorum scrutator paulus hominem qui nouus ac spiritualis omnino conditus, a natiua dignitate in maximi dedecoris sentinam sese pręcipitauit, rursus erectum at non prorsus restitutum, unum ex duobus iisdemq; integris hominibus, spiritali scilicet & corporali, nouo & ueteri constituit. Qui cum a sese mutuo semper dissideant eundem plane hominem qui totus uterq; est, perpetua eademq; fœlicissima secum militia certare, eoq; fieri intelligimus ut discordia qua cętera labefactari solent, mirabile illud opificium in uita seruetur, quod alioqui caduco mortaliq; immersum corpori, sua secum pace & concordia interiret. Ex eo autem fit ut in hoc mutabilis uitæ curriculo id ipsum semper ac simul stare & cadere, uincere & succumbere, adolescere & interire,

fateri debeamus. Et quod assidue optandum est, ueteri la-
bente nouum consistere, illo cedente hunc triumphare, illo
senescente hunc iuuenescere, illo marcente hunc florere, il-
lo emoriente hunc potissimum uigere sentiamus. Quo cir
ca non absre pro seruanda uita atq; salute nosipsos ad mor
tem atq; interitum adigere, nihilq; nisi quod non nostræ
naturæ, sed diuini est muneris, in nobis integrum relinque-
re, ac proinde uitam morte, salutem interitu, strenue tueri-
cogimur. Quo sane fiet ut insignem & gloriosam dei uicto
riam memorabili gedeonis facto confodientibus sese mu-
tuo hostibus adumbratam, in nobis experiamur. Porro si
ueterem illum in nos dominari contigerit, quod utique ar
chano diuinæ dispositionis ordine, uel ad iudicium pro hu
manæ uitæ merito, uel ad salutem pro gratuito dei benefi-
cio semper fieri non dubitamus, non perinde ceu omni spe
destituti animum despondere debemus. Sed quemadmo-
dum Deus priscis mulieribus quibus sterilitas opprobrio
fuit, fœcunditatem naturæ uiribus superiorem indidisse le
gimus, ita nimirum cum per impietatem corda nobis exa-
ruerint, spiritum suum eis ingenerare, immo & lapides in fi
lios Abrahæ, inq; nouam transformare creaturam & posse
& uelle speremus. Itaq; nosipsos inspiciamus oportet, qui
si flagitiosi & impii fuerimus, ad ueterem dumtaxat, sin iu
sti ad ueterem atq; nouum, cum Euangelico illo Samarita-
no semiuiuos nos pertinere nouerimus. Quippe qui non-
dum supremam pietatis metam attigerimus, sed imperfe-
ctam adhuc (ut ita dixero) perfectionem assequutissimus.
Quamobrem ut ueteri perempto & in partes conciso ac
dissipato, qualem excoriata olim hostia & frustatim disse-
cta, mysticoq; altaris igne cõsumpta, prefigurauit, nouum

in dies renouemus, & magis semper magisq; stabiliamus, summa dimicatione contendere debemus. Cuius rei expressam Euangelio formam intueamur.

REligiosam priscis illis patribus ieiunii, aut præscriptã lege obseruationẽ aut adsumptam sponte uirtutẽ, hodierno etiam posteris Euangelio cõmendatam uidemus P. Amp. Quæ nõ precipue in delecto ciborũ genere, inq; prefixum protracta tẽpus inedia, sed in cõtinentia & uoluptatum deliciarũ luxuũq; contemptu, ac iusta uitæ austeritate potissimũ cõstituta, uerã animi afflictionẽ pœnitudinẽq; testetur, atq; ita ueterẽ nouũq; hominẽ cõponat, ut illo languente hic cum ad omne pietatis officiũ omnẽq; uitæ functionẽ, tũ presertim in subitis rerũ euentibus & aduersis casibus, ad sedulum precandi munus uegetus alacerq; euadat. Ob id siquidẽ non solũ illi ueteri hebreorũ populo sepenumero flagellis attrito & Christi Apostolis infœlice illa nascentis Ecclesiæ calamitate undiq; ad necẽ quesitis, uerum etiam ethnicis iram Dei cœlitus expertis salutarẽ corporis castigationem cũ precatione peculiarẽ sacramq; fuisse legimus. Hanc uero totius author salutis (ut Euangelio exprimitur) nulla hypocrisi nullaq; simulatione aut mẽdacio fucatam, uerũ uult esse merentis & ad deum suspirantis animi argumẽtum, ne si natiua uultus effigie defigurata ille intus per noxias cupiditates uoluptatesq; uerã ueteris hominis imaginẽ expresserit, falsam noui speciem propriæ uetustatis ueritate cõdemnet. Quapropter tu (inquit seruator) quẽ nõ ad humanũ conspectũ deformata corporis effigie, sed ad diuinũ intuitum reformata animi specie prorsus formatũ esse uolo, cũ ieiunaueris unge caput tuũ & faciẽ laua.

Caput

Caput namq; hoc eſt principem humanæ naturę mentem
interim meroris gemituſq; acerbitate adflictam, ſpiritalis
oleo leticiæ quod in aduerſis perinde atq; in proſperis uul-
tum exhilaret, animumq; confirmet delinire monemur. Fa
ciem deniq; illam quam immortalis deus expreſſa diuinita
tis imagine formauit, cœleſtis gratię lauacro ab omni cor-
ruptorum affectuũ ſorde expurgare iubemur, ut homo no
ſter qui iam non cœleſtem patrem retulit, ſed in terreſtrem
ſpurium degenerauit, recuperata cœleſtis ſimilitudine, pri-
ſtinam nouitatem dignitatemq; recipiat, Externum uero
illum humanæ conſuetudinis uultum, cuius fortaſſis caligi
ne aliorũ facies obſcurauimus, ita illuſtrare debemus, ut ex
eo non nihil noſtrę hoc eſt diuinę nobis inditæ lucis aliorũ
oculis reſplendeat, non ut humanæ laudis aut cõmendatio
nis claritas nobis arrideat. Seruator enim theſauros in ter
ram eruginis & tineæ demolitioni, furũq; inſidiis futuros
obnoxios, defodi uetat, inq; cœlo ubi nihil eorum metui-
tur reponi præcipit. Quo nõ modo perituras opes in Chri
ſti membra diſpenſando ad cœlum tranſmittere, uerum
etiam recte facta nõ ad terrenã mercedẽ ſed ad cœleſtis pa
tris gloriam, cuius gratuito muneri accepta referri debent,
& a quo immortale premiũ certa fiducia expectetur, ſedulo
conferre iubemur. Quod ſi ſecus fecerimus, cum theſaurus
quocunq; demũ loco tua induſtria repoſitus, cor ueluti ere
ptum tibi uehementiſſima ſecũ ui rapiat, certe fieri neceſ-
ſum fuerit, ut quod in homine maxime alienum a terra &
cœleſte eſſe debuerat, id alienum a cœlo & terreſtre euadat,
totumq; hominẽ noxia uetuſtate corrumpat. Hæc autem
omnia ſummi Eccleſię proceres & ſapientiſſimi præſides a
uobis potiſſimũ nos omnẽ bene uiuẽdi diſciplinã mutuati

uestrisq; exemplis instituti prestare, & quo nihil iustius uehementiusq; a nobis exigitur, humane tum fragilitatis tū dignitatis rationē habere debemus. Vestræ uero uirtutis erit non uestra modo sed nostra etiam capita ungere, hoc est inscias mentes Euāgelicæ eruditionis, imbecilles animos perfecti roboris, saucia corda uiui medicaminis spiritali unguento perfundere. Vestram deniq; faciem in quā omnes coniectos fixosq; oculos habent, ita ab omni turpitudinis nota abstergere, ut sicut in ea diuinæ authoritatis splendor emicat, sic & in uita quid homine maius atq; diuinū nobis reluceat. Tu uero. B. P. cui latissima Ecclesiæ facies per orbem longe lateq; diffusa, ad imperium nutumq; patet, quā Christus ex infirmis quidē hominibus, sed diis ualidissimis aggregauit, cuiusq; unctum inuisibili spiritus oleo caput te constituit, eam quantum tibi per temporū hominūq; iniuriam licet, candidam, serenam, atq; tranquillam, seruare nō desinis. Et quemadmodum Moses mirabili uultus claritate in hebreorū populum irradiauit, ita nimirum tu qui non in Mosi sed Christi uices locumq; suffectus es, eam immenso sapientię maiestatisq; tuæ fulgore iugiter illuminare & fulgore accendere non cessas. Faxit igitur deus Opt. Max. ut incomparabile istud tuum lumen depulsis impietatum & superstitionum tenebris, in plurimos annos quos fœlicissimos tibi comprecamur, nobis affulgeat.

EIVSDEM DE ECCLESIASTICA Vnione & Communione, oratio Coram ipso Paulo. III. Pont. Max. & Reuerendissimorũ Cardinalium cõsessu, Dominica. 4. quadragesimæ anni. 1537. habita.

QVi in optatã Ecclesiasticæ unionis cõmunionisq; fœlicitatẽ, qualescunq; hodie dicẽdi uires conferre statuerim. B. P. qui mirari debeat neminem esse existimo. Nam dum præsentiũ mala temporum quæ oculos fugere nequeunt lachrimis nos Babilonis flumina miscere cõpellunt, antiquæ unionis cõmunionisq; tuæ, O Syon meminisse cogimur. Verum ne celebrem huius diei lęticiam luctuosa oratione perturbem, quæ dicenda suscepi, ita temperare conabor, ut ipsam calamitatum acerbitatem ex tua. P. B. prouidentia uestrisq; P. Amp. studiis pristinę quietis tranquillitatisq; expectatione lenire possimus. Cœterũ & ab Euangelio quod seruatorẽ copiosam multitudinẽ diuinitus refecisse cõmemorat, hoc institutum non admodum abhorrere cõspicio. Si enim Paulus mirabile diuini spiritus organum omnes unius panis poculiq; participes, unum ceu panẽ corpusq; esse affirmat, ego ex hodierna mẽsa Ecclesiasticã unionem cõmunionemq; non abs re colligere existimabor. De qua paucis acturus qđ uos a me studii ĩ dicẽdo postulare credo, id a uobis diligẽtiæ in attẽdendo me sperare posse cõfido.

SI quid est in uita mortalium quod seruandis augendisq; rebus nostris necessariũ esse arbitremur P. Amp. id per

petuum & indissolubile unionis uinculum esse existimo. Si qdẽ ex unione caritatẽ ex caritate cõmunionẽ atq; cõcordiã ex cõcordia pacẽ trãquillitatẽq; sine quibus res nostrę constare non possunt, nasci & scaturire nouimus. Nam & clarissimas urbes, potentissimas Resp. latissima imperia, quæ discordia funditus euersa fuissent, concordia & pace non modo seruata, sed & aucta fuisse non ignoratis. Quod si in rebus humanis, id quoq; in diuinis & ad fidem atq; religionem pertinentibus, uerum esse fateri oportet. Quam obrem Christus tum morti proximus, tum rediuiuus, firmata Rep. sua claritatem suis & pacem summopere commendasse, & totius charitatis pacisq; authorẽ ac unionis cõmunionisq; fontem spiritum inhalasse legitur. Paulus deniq; haud nescius q̃ pestifera sunt scismatũ & diuersorũ dogmatum monstra, & noxia opinionum inuenta, ad hoc ubiq; studium confert ut extirpatis eorũ radicibus quę iam multorum animos occupare, & succrescentẽ Ecclesiasticę unionis cõmunionisq; frugem suffocare cœperant, eandẽ omnibus mentẽ sententiamq; instillet. Huc accedit q; Ecclesiastica hęc hierarchia cœlestem illã in qua Beatos spiritus perfectissimo animorum uinculo nexos, & incomparabilium bonorum cõmunione locupletatos credimus, immo diuinissimam trinitatem in qua tres in unũ numen coeunt, & tum naturã tum operationẽ cõmunem habẽt, nulla re alia rectius q̃ unione cõmunioneq; imitari potest. Hãc psaltes ille diuinus in domo dei quã multi in unũ fratres ĩhabitãt, nihil iucundius aut fœlicius asseruit eaq; fieri cecinit, ut inuisibilem spiritus unctionem doctrinæ, fidei, iusticięq; ministram/a/capite in barbã Aaron hoc est a Christo in Ecclesiasticos proceres a sublimi eius sapiẽtia & fortitudine pen

dentes,inq; oram uestiměti eius,id est infimos credentium in unica ecclesia ceu incõsutili ueste(ut ita dixero)cõtextos defluere sentiamus. Qua de re qui inanem disceptationis labirinthum extruunt, unicam esse Ecclesiam & diuisionis expertem & multitudinis capacẽ fateantur oportet. Nam iuxta innumera scripturarũ testimonia tametsi plures esse tum personarum,gentium,locorũq;,distinctio,tum diuersa peregrinationis patriæq; ratio confirmet unicam tamẽ esse perfecta omnium membrorum in capite unio, eadem fidei & religionis professio, spiritus quoq; sacramentorum & dogmatum communio demonstrat.Hæc autem quo studio qua ue industria aut plantata crescere,aut lesa reuiuiscere queat,ex Euangelio audiamus.

QVid uobis quos Ecclesiasticæ unionis cõmunionisq; bases & firmamenta , ad eam uel retinendam uel instaurandam,agere conueniat,hodierno seruatorem Euangelio indicasse uidetis P. Amp. Qui firmaturus eam , dum haud dubie extra cœtera atq; seipsum abiisse describitur, pro ea uobis tum opes , imperia , sacerdotia , resq; omnes præclaras tum proprii sensus blandimenta & humanæ rationis argumenta,quæ animos a uero abducere solent , calcanda docuit,eumq; se uobis non quiete sed labore,non refrigerio sed fastidio,non uoluptate sed calamitate,in Euangelicæ prędicationis itinere exhibuit , qui iuxta Mosi uaticinium de monte , id est sublimi cœlestis philosophię fastigio igneam in manu legem attulisse legitur,suo nimirũ uos exemplo instituens, ut seuiente discordia , frigescente religione,Euangelicæ pacis & igneæ legis fideli seduloq; ministerio uos accingere , eoq; aduersus impios fratres cum Iosue uos armare non formidetis. Quippe a quo aut non

prestito aut insincere infideq; detorto, pestilentia dogmatum & noxiarum opinionum fontes, emanasse, & foris impietatem, intus superstitionem ac preposterum tandem religionum legumq; ordinem, inualuisse nouimus. At quia in turbulento sectarum seditionumq; diluuio, quo totius arca salutis impetitur, rem in discrimen adductam uidemus, Seruator lacum Galyleæ id est transmigrationis uos secum transiire, hoc est, omnibus aduersitatum procellis superiores euadere præcipit, cœterisq; neq; cœcos neq; ignauos duces præficit, quo institutione & authoritate/a/tenebris ad lucem, ab errore ad ueritatem, a morte ad uitam, a tabernaculis chore & Abyron ad unam eandemq; cōmunem seruandorum arcam facti transmigrent. Nam quod illi pestifera ambitione accensi, Mosen & Aaron, dominatum eis improperando, iurgiis conuitiisq; lacessere, sibiq; cœtum sanctorū temere uendicare non erubuerint, id tunc adumbratum, nunc autem in Ecclesiasticæ unionis cōmunionisq; perniciem excitatum cernimus. Verum hic immutabili diuine electionis consilio animos stabilire, & instar Helyæ qui solum se relictū conquestus, septem, hoc est, multa uirorum milia qui Baal non adorauissent, superesse intellexit, nos etiam ingentem multitudinem ut Euangelio exprimitur, Christi Apostolorumq; uestigiis id est Christianæ religionis & Apostolice Ecclesiasticæq; disciplinæ institutis inherere nouisse debemus. Deinde seruator non modo sequentes sincera charitate complexus, sed etiam infirmis pia lenitate compassus, sui uos imitatione non solum qui in sana fide diuino munere persstiterint, incolumes seruare, uerumetiam qui humana egritudine laborauerint, aut aliena iniquitate p̄cipitati uulneratiq; fuerint, erigere,

& curare, atq; in Ecclesiastica unione cõmunioneq; rursus confirmare uoluit. Hæc uero ne subingressis in gregem lupis, uiolari ac dissipari queat, uos secum a ualle in montem conscendere, hoc est a torpore ignauia, & ocio, quæ Ecclesiasticam dignitatem dedecorant, in assiduarum sollicitudinum, excubiarum, & actionum altitudinem, unde uigiles studiosos diligentesq; Episcopos id est inspectores agere debeatis, consurgere iubet. Quibus sane omnibus fiet, ut uestra fide studio & opera compositis Ecclesię rebus, populus cum Christo iuxta Iohannem in uiridi gramine, hoc est iuxta Esayam in speciosa & amabili pacis pulchritudine sedeat, mactatis Egyptiorum primogenitis id est concisis impiorum dogmatum, & exitialiũ dissidiorum capitibus, pascha Iudeorum/in credentium confitentiumq; profectum celebret, uni deniq; & communi mysticæ in Ecclesia mensæ fœliciter accumbat. De qua proximam Euangelii partem q̃ paucissimis absoluere conabor.

SPiritalem mysticæ unius in Ecclesia mensæ communionem uestrę creditam fidei & dispensationi, Christi uobis exemplo cõmendatam animaduertitis P. Amplis. dum copiosæ multitudinis curam uerus ille pastor & Episcopus suscepisse, & quibus epulis cœleste in terris cõuiuium ei instrueret, suos tẽtasse legitur. At neq; Philippi neq; Andreæ sententiam approbat, quorum ille ducentorum denariorũ panes, hoc est doctrinã iusticiamq; humanã, ingenti studio atq; labore quæsitam, hic quinq; ordeaceos panes duosq; pisces a puero ꝓductos, hoc est traditionẽ sanctimoniãq; legis, Mosi creditam ministerio, uix utcunq; tamẽ ad uerę pietatis fœlicitatisq; plenitudinẽ sufficere posse existima-

uere. Dumq; miram incõparabilemq; diuinitus mensam instruit, qua gregẽ alimonia pascere debeatis, uerborum factorumq; suorũ imagine exprimit. Neq; enim quemlibet cibum sed suis dumtaxat manibus sacratũ hoc est doctrinã iusticiamq; ex humana diuinã, ex Mosaica Christianã red ditam, & iam nõ naturæ sed gratię, non operũ sed fidei, nõ legis sed promissionis, in esurientẽ & inedia confectã multitudinẽ, Apostolico uestroq; ministerio dispensari præcipit. Idq; eo sępius ac diligentius, quo magis ex auctorũ hodie panũ, & indeficientis olim farinę & olei argumẽto, cœlestem cibum dispensatione nunq̃ minui semper autẽ crescere indicauit. Qui cũ omni esurie fortior, omniq; captu capacior, sumi quidẽ sed non consumi, fide cõmunicari nõ abdicari possit, fragmenta quæ superesse necesse est, ne neglecta minimeq; dispensata aut sumpta pereant, ad uocandorum in dies filiorum, robur atq; salutem colligere iubet. Quibus ut olim Helyas angelico, turba hodie Apostolico, utroq; certe uestro ministerio, ubiq; autẽ Christi beneficio satiati, opulentã spiritalis mensę cõmunionem diuinissimi illius prophetæ a cuius aduentu salus omnis expectabatur, liberalitati & munificentiæ acceptã referant. Summatim nonnulla quæ ad Ecclesiasticæ unionis cõmunionisq; fœlicitatẽ attinere putaui ex Euangelio protuli. P. Amp. pro qua una cũ Hieremia Euangelicæ ueritatis hostibus murũ æneum uos positos meminisse debetis. Fidei namq; soliditate qua cruciatus mortemq; despicere, constantia qua infracto inuictoq; animo persistere, sonora spiritus doctrina quam mentibus infigere non dubitetis, uos pręstare decet, atq; summa ope niti oportet, ut dum aliena mala quibus Ecclesiasticam unionem communionemq; labefactatam

uidemus,

uidemus, eradicare cõtenditis, etiam domestica errata qui-
bus Ecclesiasticę dignitatis existimationẽ lesam non igno
ratis, extirpare conemini. Quo fiet ut alios uestra doctrina
ad recte sentiendũ, uestroq; exemplo ad bene recteq; uiuen
dum institutos, spiritalis unius conuiuii in quo iam non ca
ro & sanguis, uerum quid dico? Immo caro & sanguis sed
Christi, spiritus deniq; & uita proponuntur, participes effi
cere possitis. Quę omnia cum tu B. P. diuina tum proui-
dentia tũ authoritate dirigere debeas & Ecclesiasticę unius
arcæ gubernacula teneas, te potissimũ in Galyleo diuisio-
num sectarumq; mare interpello. Tu enim eximium illum
Noe qui pacificus quietusq; dicitur referens, cũ totius con
cordiæ pacisq; principem & unionis cõmunionisq; autho
rẽ semper te pręstiteris, tuo nos pręsidio fore expectamus,
ut columba spiritus a te tuisq; Apostolis egressa siccatis un
dis, ramum frondentis oliuæ uictoriæ pacisq; signum affe-
rens, diuinæ protectionis montem designet, in quo instar
Christi inter purpureas spiritalis lęticiæ rosas, densasq; uir
tutum frondes cum electis Ecclesiæ filiis cubes, eis ab into-
lerabili seuientium malorum æstu, quietem refrigeriumq;
præstes, cœlestem deniq; alimoniam impertias. Quod tua
uita durante, quam diuturnam fœlicemq; esse cupimus, no
bis non defuturum credimus.

EIVSDEM DE SACERDOTII DIGNItate oratio Coram ipſo Paulo .III. Pont. Max. & Reuerendiſſimorum Cardinalium conſeſſu, Dominica.4.aduentus anni.1537.habita.

SI quid pietati,& religioni,qua homines mortales in deorũ immortalium cõſortium rapiuntur,proximũ eſſe credimus.B.P.id potiſſimum ſacerdotii munus eſſe exiſtimo.De cuius dignitate atq; officiis, cũ innumeras alias & copioſiſſimas dicendi rationes amplecti potuiſſem, non abs re tractare conſtitui,primũ ꝙ corã ſummo ſacerdotũ principe & ſupremo eorũ procerũ ſenatu qui religionẽ ſacerdotium & ſacra tueri debent, quibus nominibus rebuſq; nihil maius diuiniuſq; eſſe arbitror,ſum uerba facturus. Deinde ꝙ ſacerdotii cũ incredibilem magnitudinẽ tum incõparabilẽ adminiſtrationẽ in aperta Apoſtolicę Euãgelicæq; doctrinæ luce propoſitã hodie uidemus. Paulus enim imprimis ſacerdotes atq; Epiſcopos miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorũ dei conſtituit, Lucas uero dum ſub alienarũ gentium tetrarchis atq; pręſidibus, Iohannẽ leuitico genere ortum,nouiq; ſacerdotii deſtinatũ pręconẽ introducit,ueteri plane ſacerdotio finẽ imponit.Quæ dum ſuccincte tenuiterq; perluſtro,uos quęſo P. Amp. attentas aures animoſq; faciles Pauliſper accõmodate.

AD illuſtrandã ſacerdotii maieſtatẽ,& officiorũ eius explicandã magnitudinẽ, nihil magis cõducere puto, q̃ ꝙ totius author ſalutis,& eã ſeipſo,& ſeipſum ea clarũ illu-

ſtremq; haberi uoluerit, & cũ ea ipſa ſimul ac regia dignitate fulgeret, hanc illius uirtute ſibi pręcipue uendicauerit. Non enim qui religionẽ ſolũ pręeſſet, ſed etiam qui pręuia religione additiſq; ſacris regnũ obtineret, ſacerdos ueniſſe creditur. Nam & mundi principes ſub quacunq; demũ religione uixere, a ſacris ſemper auſpicati ſunt omnia, & abſq; ſacerdotũ officiis nihil recte fieri poſſe exiſtimauere. Quã obrem a ſacerdotio etſi non obſcuro illo & parũ inſigni leuitico, a claro tamen & excellenti a quo ſacerdotiũ omne in Eccleſiam defluxiſſe credimus, & geſtorũ Chriſti auſpicia pręmitti & reipſa perfici oportuit. Nam ut cœtera pręter eam, duo eſſe in Chriſtiana religione ſacerdotiorũ genera, alterũ citra hierarchyci ordinis iniuriam omnibus cõmune, alterũ iuxta Eccleſiaſticæ uocationis menſuram quibuſdã peculiare, ex ſacris literis aperte colligimus. Qua de re ut ex diuinarũ ſcripturarum theſauro uetera & noua depromã, nonne deũ Opt. Max. quotquot eius legibus bene Beateq; uiuendo parerent, promiſſiſq; fiderent, eos ſacerdotes delegiſſe Moſes affirmat? Petrus deniq; ſenatus Apoſtolici caput, cunctos religionis Chriſtianę myſteriis initiatos fideq; imbutos non modo ſacerdotũ ſed etiã ſacerdotii ipſius ſacroſancto nomine dignatur. Quid ſi credentes omnes etiam Chriſtos dici in ſcripturis fateri oporteat? nimirũ quia ſacerdos omniũ Chriſtus ut immortali deo ſpiritales litare uictimas, ſeſeq; ad capitis uſq; iacturam cõſecrare non dubitent, omnes, id genus ſacerdotes oleo inuiſibili unxiſſe dignoſcitur. Qua moderatione ſi incidentes de ſacerdotio diſceptationes temperarentur, non tot homines aut propria cœcitate, aut aliena iniquitate ſeductos, in errorum uoragines prolabi uideremus. Neq; enim omnes

sacerdotes id est prȩsides esse asserere debemus. Si quidẽ sic filios Dauidis utiq; ꝓphanos, & a sacrorũ officiis alienos, Iethro madianitam & in Esaya maiores sacerdotes dictos legimus. Nec deniq; omnes Ecclesiis ad sacrorũ ministeria prȩfectos esse, aut eiusmodi functionis potestatẽ habere, ulli, nisi in Ecclesiasticũ ordinẽ iniurii affirmauerint. Quos q̄q̄ innumeris scripturarum testimoniis confodere liceret, apertissima tamen doctoris gentiũ sententia satis conuulsos fractosq; arbitror. Is enim, nunquid ait omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes doctores? atq; pastores? Quorũ officia cũ ad euangelicũ spectare sacerdotiũ animaduertere debeant, non sane omnibus cõmune id esse fateantur necesse est. Quibus de rebus cũ non nisi iuxta Apostolicæ Euangelicæq; doctrinæ regulã dicere statuerim, illico ad eam me confero. Interim si quæ ad uestri muneris, & uitæ rationẽ pertinent, attigero, pro uestra humanitate facili uenia donandum me existimabo.

PAulus ille gentium Apostolus, qui in uices Apostolorũ locumq; suffecti sacerdotes atq; Episcopos agitis P. Amp. uos ministros esse Christi imprimis affirmat. Qua sententia sacerdotii uestri, & Episcopatus tum dignitatem maximã, tum munus grauissimũ expressum, perpendere debetis. Quid enim Christi ministerio aut illustrius aut maius aut eminentius esse potest? quo sacerdos a rebus prophanis ad tractandũ sanctissimũ diuinissimũq; eius negotium segregatur, & diuinitati proximus efficitur? Ad id Paulus qui Apostolicã doctrinã pari authoritate atq; modestia intonat, & Iohannes ille lucerna ardens & lucens, quæ mirabiles in Euangelio radios & ignes iaculatur, inaudita uoca-

tione inuisoq; spectaculo adsũpti, Ille uoce cœlitus delapsa non minus uocatus q̃ territus, hic facto super se uerbo Domini subito eius numine transformatus, qua religione ipsum sacerdotii ministerium tractare & explere uos deceat ostendunt. Quamobrẽ Paulus dum se fere semper Christi seruũ & ministrũ, nõnunq̃ oratorẽ & legatũ esse gloriatur, tanq̃ maiore titulo potestatẽ sibi asserere aliisq; approbare non posset, suo effecit exẽplo, ut modestã hoc nomine dignitatis gloriã tũ ab alieno contẽptu & iniuria liberã, tum ab omni tirãnide ac insolentia immunẽ, seruare debeatis. Per id autẽ inprimis authoritatẽ uobis cõmendat. Iohannes uero dum sacerdotii ministerio & Apostolicæ legationis munere perlustrata omni Iordanis regione cunctis, qui salutaris lauachri mysterio, prioris uitę pœnitudinẽ testarentur, gratuitam condonationẽ denunciat, assiduũ docendi, prędicandiq; officiũ a uobis exigit. Quod dum sacerdos aut Episcopus explet rem adeo dignã exequitur, ut exẽplo Pauli electũ Christiani nominis organũ, instar Iohannis, uox clamãtis in deserto, & uiuũ dei os esse & haberi mereatur. Verũ inter hęc decora ministerii uestri ratio, cuius maximã in uoce minima uim puestigandã Apostolica doctrina proponit, animis uestris inclamat P. Amp. ut uos gregi non tam præesse q̃ ministrare debere, eũq; magis fidei uestrę creditũ, q̃ potestati traditũ, plus deniq; uobis oneris impositum q̃ dignitatis aut honoris collatũ esse memineritis, dumq; Apostolorũ successores & Christi ministros uos esse animaduertitis, ad hoc sedulo incumbatis, ut maiorũ imagines proprię ornamẽtis gloriæ, genus Apostolicũ uirtutis opinione, dignitatẽ ac titulũ sacerdotii munere testificemini. Hoc subinde Paulus in dispensatione mysteriorum de

officio plane sanctissimo, diuinissimoq; potissimum cōsti tuit. Non enim foris dumtaxat cœlestiū mysteriorū elemē ta proponere, neq; instar leuitici sacerdotis corporalē flā mā educere, sed insonantē animis spiritū, & diuinū ignē uer bi ministerio & precationis studio aduocare debetis. Alio qui si tam necessariā dispensationē a qua uestrę dignitatis & ministerii rationē, ac tot hominū salutē pēdere nō igno ratis, impie prętereritis diuinæ indignationis iram, quod Paulus etiam intentasse legitur, in uos prouocare nō dubi tabitis. Is nimirū impiam quorundā ignauiam dānat, dū alter regionē omnē ab Hierosolyma ad illiricum, & scelesti usq; Neronis regiā, & orbē fere uniuersum, mysteriorū Dei dispensatione penetrat. Alter dum ad gētes Iordani proxi mas & impii Herodis aulam, ac carcerē deniq; ipsum cœle stium sacramētorū administratione pertrāsiit, Dumq; san ctissimas omnibus leges pręscribit, seruatorē olim promis sum, & expectatū adesse, iudicēq; adfore denunciat, peruios ei animos, & rectas cogitationū semitas, mentium ualles de pressis Pharisaicæ superbiæ mētibus Euāgelicæ gratiæ præ paratas, rectā dānata superstitionis prauitate religionē & uerā cōposita asperitate lenitatē, ab omnibus expostulat uos quales dispensatores mysteriorū dei præstare debeatis, instituit. Qua de re quod superest inquit Apostolus illud in dispensatoribus exquiritur, ut fidelis quis inueniatur, ut sci licet is unica phœnix inter sacerdotis & Episcopos merito habeatur. Verumtamen si incredita uobis dispensatione Christi non uestrū negotiū agere, ac prope etiam uitę an teponere, Euangelicæ doctrinæ mysteria sincere citraq; fu cum tractare, turpia lucra exhorrere, quę dispensanda susce pistis elargiri, omnia ad gregis salutē nō ad propriū cōpen

dium referre,Ecclesiis institutione uigiliis defensione fortu nis sanguine adesse,contempta libertate cũ offensis ardere,cũ infirmis infirmi fieri,omniũ affectus necessitudinesq; in uos transformare, Vulnus infligere & mederi, seuire & blandiri,modis deniq; omnibus Christi gloriæ & Euangelio accessioné facere noueritis, tum demũ fidi prudentesq; dispensatores haberi poteritis.Qua fide atq; prudentia an polleatis,nec alienũ nec ueſtrũ uobis iudiciũ sufficere Paulus ostendit,dũ dispensationis suæ fidé suáq; iusticiam neq; corinthiorũ neq; ullo hominũ iudicio, neq; officiorum cõscientia metiri,nec inde alicuius famæ diurna (ut ita dixerim) claritate uult illustrari,asserens omnia a diuino pendere iudicio, quo optimus quisq; aut sacerdos aut Episcopus clarã dispensationis suæ laudé & copiosam mercedé a Deo referet,nimirũ quando ut Euangeliũ concludit omnis homo carne mortalis tandé immortalitate donatus,quo salutem assequuti sumus eũ defeccata métis acie intuebimur. Quo circa Paulus atq; Iohannes aspernandã esse sacerdotibus & Episcopis humanæ opinionis gloriã & magni nominis splendoré docuere,dũ alter cũ primas ei darent corinthii eũq; cœteris Apostolis prę̨ferrent,alter cũ pro Christo haberetur magno uterq; animo contépsit.Quas modo ex Apostolica Euãgelicaq; doctrina institutiões audistis P.A. eas ad sacerdotii uel ordiné quo donati estis uel saltem munus quod uobis incumbit morum integritate & bonarum actionum assiduitate illustrandũ pertinere animaduertitis. Quamobré cũ prę̨cipua eiusmodi administratiõis pars in ligandi soluendiq; hoc est docendi & iudicandi potestate & officio cõsistat,quod eo dignius est ac maius quo enim censentur prę̨stare corporibus, summopere prouidendũ est ut

uerbo dei quod dispensandũ suscepistis uestrã potestatẽ me tiamini, Alioqui futurũ expectãtes, ut quæ siue in publicis iudiciis siue priuatis sententiis temere ac frustra tentaueritis, diuinũ iudicium cui omnis sacerdotũ authoritas parere debet, infringat. Non enim alia ratione in rebus prȩsertim fidei legũ religiõis cœteris(que) id genus sȩpe & maturius ponderandis uestrã Christus sententiam probatũ iri promisit. Cœterũ iusta iam ex dictis occasione habita ad te cõuertor B. P. istã(que) tuã supremi sacerdotii sũmi(que) põtificatus dignitatẽ suspicere cogor. Tu nã(que) Christũ in terris referens, ipsius quod spiras uerbo omniũ tũ sacerdotũ & põtificũ tum legum ac principũ leges at(que) iudicia exanimas. Nã ut supremus ille parens in cœlo iudicium filio, ita nimirũ ipse dei filius id tibi omne super terrã iuxta creditũ tibi mandatũ, cõmune fecisse creditur. Et si Paulus ille tuus se spiritũ Christi habere nõ minus pie q̃ uere gloriabatur, eũdem quo(que) tibi Ecclesiastici ordinis principi non deesse debere existimamus. Quo fit ut cum nuper pro tua diuina dignitate & necessaria tuorũ salute, totius Ecclesiæ synodũ tot iam annis desideratam decreueris, qua re ueluti flatu lȩticiæ Christianum orbem recreasti, fœlicissimi nobis esse uidemur, quibus incomparabilis animi tui magnitudo at(que) fœlicitas breui fore pollicetur, ut compositis principum animis rebus deliberandis maximam dexteritatem adferat. Quod ut fiat deus Opt. Max. te cadenti Reip. Christianæ labenti(que) religioni, cui uere sacerdos ac Pontifex Maximus es prȩfectus, defensorem propugnatorem(que) in multos ac fœlices annos seruare non desinat.

Eiusdem

EIVSDEM DE DIVINÆ VOCIS VIRtute oratio Coram ipso Paulo. III. Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica. 4. aduentus anni. 1538. habita.

QVod mirificus ille Baptista delegatæ sibi prouinciæ authoritaté conciliaturus sola uoce clamantis in deserto gloriatus fuerit B. P. incomparabilem profecto diuinæ uocis magnitudinem & uim expresisse creditur. Quid enim immortalem deum, quem omnium spiritum parentem, & totius uitæ fontem esse nouimus, nisi spiritum semper loquentem & uitam omnino uocalem existimare debemus? Quod igitur mortalibus uerbum mente ceu matre concipere, spiritu uocem edere, uoce deniq; sermonem enunciare diuinitus cõcessum fatemur, id immortali deo sed differentibus plane modis adesse nõ dubitamus. Mens enim nostra tametsi corporibus intra suæ angustias naturæ semper clausis supereminens, congenita sibi uiuacitate omnia collustret, internum tamen sermonem, quem spiritu corporis insensibilem uocem proferat, aliunde cõcipere cogitur. Diuina uero nullius indigens, cunctaq; continens, sic omnia ęterna uerbi luce penetrat, uitali spiritu fœcundat, immensa uocis uirtute excitat, ut nihil ab aliis suscipiat, omnibus autem sua larga liberalitate impertiat. Itaq; humana diuinis, temporaria æternis omnino cędant necesse est, Illic pręter caducam & fluxam imbecillitatem, hic pręter stabilem immobilemq; potentiam nihil intueri licet. Diuinæ etenim uocis nulli cędente, cunctaq; uincente uirtute,

originem habere omnia, orta suis seruari naturis, seruata in contrariũ nonnunq̃ uersa perpendimus. Sic opertam diluuio terram, regressum solem, redacta in cruorem flumina, sectum populis ęquor, redditam e saxo sterili aquam, restituta uitæ cadauera, & id genus innumera ad diuinæ uocis imperium facta legimus. Quæ si uidentur exigua ad res animorum, pietatem dico & religionem feramur, in quibus insuperabilis inestimabilisq; uocis diuinæ uirtus, imminentibus periculis, negante uetustate, renitente consuetudine, repugnante natura, & omnia in contrarium armante humani generis hoste, ueterem mũdum innouauit, & homines a patriis ritibus, ac maiorum institutis, in multo diuersam religionem & aliud uitę genus adductos, in deos transformauit. Quę uero pertinaciter obstiterant, ea omnia ueluti tenuem puluerem qui spirantium uentorum impetum nõ sustinet, in nihilum redegit. Qua obsecro re quid clarius illustrius ue haberi potest. Nam ut e plurimis paucissima & maximis minima producam, ex nihilo prodiisse omnia, immortales esse animos, rediuiuos fore mortuos, & quæ nullis oratorum uiribus aut philosophorum rationibus persuaderi potuere, eorum fidem sola Euangelicæ prædicationis uox per ineruditos ignobilesq; delata inducere ualuit. Quid præterea de immensa diuinæ uocis magnitudine referam, quæ per decertãtem adhuc peregrinantemq; in terris Ecclesiam multiformem dei sapiẽtiam cœlestibus olim spiritibus absconditam patefecit? Quæ demum tot deorum aras, sapientum rationes, regum conatus, hereticorum artes, & omnem altitudinem aduersus scientiam dei se se erigentem, ac proinde cœlum terram atq; inferos uicit, & suo imperio subiugauit. Hanc Paulus ille strenuus inui-

ctusq; milicie Christianæ Imperator, subacta Grçcia, magnaq; minoris Asiæ parte, in Romanum tandem Imperium nullis tum regum uiribus, aut hostium copiis expugnabile, uictricem intulit. Qua de re quæ pauca admodum dicenda suscepi, hodierno ea Euangelio accommodare constitui.

QVo tempore Tiberius Romanum tenebat Imperium & Annas atq; Cayphas principatu sacerdotum, & sacrarum rerum summa potiebantur, e ferarum latibulis in medium prodiit eximius ille uates, & omni seculo admirandus Iohannes, facto super se uerbo domini diuinç uocis organum delectus, ipsamq; diuinam uocem uox ipse clamantis in solitudine uox nimirum uocem, clamans clamantem solus solum quiq; solus est & in diuinitatis penetralibus latitat, auribus omnium animisq; mirabiliter insonantem, sedulo sui muneris officio, inualida aduersus diuinum decretum mundanç dignitatis fastigia, ac inania hominum molimina & consilia uincere fecit. Prodiit inq̃ prçclarissimus ille uocis diuinç preco, ad perficiendum suæ legationis negocium instar Hieremiæ prius sanctimonia q̃ luce donatus, exemplo Mosi deus hominibus cõcessus, more Helyæ diuino numine & robore prçditus, socius angelorum, & inter feras obambulans, altior cœlo, & in solitudine uitam agens, Christum indutus, & pilis uestitus, cœlestibus epulis saciatus, & locustis ac melle refectus, mentem Christi tenens, & uocem dumtaxat se asserens, eoq; uiuendi genere in Ecclesiarum prçsidibus, quos diuinæ uocis organa esse decet, omnem fastum luxumq; damnare & euertere. Ac interim delegatum sibi munus mirum in modum

commendare studuit. Id quod adeo eximia tum prudentia tum opera expleuit, ut terribilibus amabilibusq; in Euangelicæ uocis pręconio coniunctis, nullis hominum aut moribus aut ingeniis ulla in re defuerit. Quid enim (ut horribilibus in monte signis adumbratum fuit) uoce legis importabilius, qua ueluti cōminationum fulgure omnes tum scribas ac Phariseos, tum publicanos ac milites exterruit, iudicii terroribus exanimauit, & nisi resipiscerent ad ęternæ mortis supplicium damnare non dubitauit? Quid uero id quod olim Helyæ sub typis quibusdam demonstratum extitit, Euangelicę promissionis aura gratius, qua cunctis salutari lauacro ceu quodam iusticiæ simbolo seruatori Christo initiatis, quos prioris uitę pœniteret, gratuitam condonationem attulit? Hoc inquit ęterni principis mandatum agnoscite quod orator ego & pręco, neque ignauia prętereo neq; impia temeritate excedo. Sed quod fidelem cœlestium mysteriorum dispensatorem decet, sincere ut accępi administro. Hanc audite eius non meam aut alienam uocem (eius rei testem Esayam facio) quam non e phylosophorum dogmatibus, non scribarum aut phariseorum cathedris, non mendacibus hereticorum inuentis, sed ex ipso eius ore spiritu & corde profero. Parate uiam Domini rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erūt praua indirecta & aspera in uias planas, & uidebit omnis caro salutare dei. Itaq; cum adeo multa in orbe Christiano cęco sui amore & inani fiducia imparata, noxiis cupiditatibus obliqua, omni uecordię & scelerum genere in ualles prostrata, uana sapientię sanctimonięq; persuasione in montes elata, inuersa religione ac impietate deprauata, intractabilibus hominum

moribus aspera uideamus, quid mundum restituet nisi diuina uox intimis animorum recessibus insonans, quæ semel conditum & mortifera tandem uetustate consumptum innouauit? Huius diuinæ uocis incomparabili uirtute, & uestra P. Amp. prudentia diligentiaq; certo fore expectamus ut Deus Opt. Max. mentium cęcitatem uera in eum fiducia depellat, sinistros appetitus diuinarum rerum amore cōmutet, deiectos animos ad spiritalis iusticiæ, & cœlestis regni sublimitatem erigat, Sublimes sibiq; placentes crucis humilitati subiiciat, deprauatam religionem ad Euangelicæ ueritatis regulam exęquet, morum asperitatem Christiana benignitate charitateq; leniat. Quo fiet ut destinatum nobis ante originem mundi & diuinitus nominatum totius authorem salutis in cōspicua diuinitatis specie coram intueri possimus. Vos etenim Ecclesiæ proceres incondita nostra componere, obliqua dirigere, uallium deiecta restituere, montium supercilia humiliare, praua exequare, aspera leuigare, Immortalem deniq; deum uestra tum uoce audiendum, tum luce uidendum, monstrarem debetis. Alioqui si in delectis Ecclesię pręsidibus imparata omnia, quæ parandorum nobis animorum imago? si obliqua quę rectitudinis regula? si desperata, quę subleuandi forma? si supercilium quæ modestię facies? si praua religio, quæ pietatis norma? si morum asperitas quæ lenitatis effigies? Postremo si taciturnitas & caligo, quæ audiendi uidendiq; deum species esse posset? In te autem .B. P. maximam amplissimamq; eiusmodi rerum facile instaurandarum spem reposuimus, inq; eam pręclarissimis & heroicis plane facinoribus tuis adducti sumus. Tu namq; Iohannem & Helyam spiritu & fortitudine referens, potentissimos Christiani

orbis principes uiuę uocis energia ceu numine quodam oc culto conciliasti,& positis ob oculos nostris calamitatibus ad misericordiam,uiolatis sacris ad pietatem,diuinis huma nisq; uiribus ad concordiam flexisti. Voce igitur tua quæ non nisi incomparabilem animi magnitudinem & sapien tiam spirat cœlum terram ac tartara pulsasti,dum adlata quæ in desperationem uenerat pace, cœlestes spiritus no-stris malis offensos exhilarasti,Christianum orbem sangui-ne madentem restituisti, inferos maximis infandissimisq; sceleribus oblectatos confudisti. Quibus ex rebus id præ-terea tuę fœlicitati seruatum esse merito credimus,ut te ad restituendam in interitu, retinendam in periculo, augen-dam in prosperitate, Reip. Christianæ salutem, in pluri-mos annos fœliciter imperante, Christianissimos Princi-pes qui mutuis prœliis interire cœperant, fœdere iam fir-mato potentissima uoce tua excitatos, in immanissimum Christiani nominis hostem, fines nostros terra mariq; infe stantem occupantemq;, & magnam quotidie Imperii no-stri partem tirannidi suæ subiicientem, uictricia signa fer-re,& clara inde trophea referre uideamus.

EIVSDEM DE DIVINI SAPIENTIA Spiritus oratio Coram ipso Paulo. III. Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica .4. quadragesimę anni. 1539. habita.

QVæ ad perfectam diuinæ naturæ similitudinem, quam in illa uere fœlice Beataq; uita expectamus, & ad quam totis (ut aiunt) uiribus neruisq; contendere debemus, nos euehere & sublimare possunt. B. P. inter ea diuini sapientiam spiritus potissimum eminere existimo. Si enim diuinitate innouamur, in expressam immortalis Dei speciem immo in deum ipsum transformamur. Si spiritu instauramur, ab omni terrestrium corporaliumq; rerum crassicie & fece purgati, diuinam quandam puritatem mundiciemq; adsequimur. Si sapientia illustramur, ad altissimarum rerum cognitionem & incomparabilium bonorum amorem gustumq; rapimur. Hæc nimirum illa est non quam humanæ mentis industria & studio adquiri philosophorum plęriq; sensere, sed quam sapiens ille diuino adflatus numine, ab omnium opifice deo edoctum se affirmauit. Eam namq; incorruptibilem esse uirtutis dei uaporem, sinceram claritudinis eius emanationem, igneum lucis ęternæ candorem mundum diuinę maiestatis speculum, & expressam bonitatis imaginem rectissime definiuit. Quæ si quispiam fortassis de ipso dei, filio quem ęternam patris sapientiam esse credimus, intelligenda obiecerit, id ego facile concedere nō dubitauerim, modo tamen diuinitus eam

dari eaq; sola nos uere sapientes fieri posse persuasero. Id quod non obscura ipsius sapientis sententia manifestum esse arbitror, qui illam unam eandemq; in se permanētem in humanos se animos transferre, cuncta innouare, & amicos prophetasq; dei ac proinde uere sapientes constituere testatur. Qua præterea ex re nihil usq; adeo esse reconditū, quod non peruestigare, obscurum, quod non illuminare, in malo firmatum, quod non soluere, uetustum, quod non natiua quadam nouitate illustrare possit, pro singulari quadam ipsius diuinæ sapientię laude merito colligimus. Quæ cum ita se habeant uerissimum esse animaduerto, quod nō modo diuinarum sed humanarum etiam scientiarum testimonia astruxerunt. Neminem scilicet nisi bonum uere sapientem effici posse. Ipsa enim diuini spiritus sapientia sine iis que Dei Opt. Max. amicitiam conciliant, nempe fide qua deum uere cognoscere, religione qua eum pure colere, amore quo nobis eum perfecte conciliare, paupertate sp iritus qua nos ipsi fortiter cōtemnere, charitate qua proximum sincere diligere debemus, constare non potest. Quocirca Iob ille constantissimus ipsam sapientiam ueram esse pietatem, uerissime asseruit. Huius adeo claram admirandamq; uirtutem esse nouimus, ut uere sapiens sibi desipiendo sapiat, ac proinde sese damnando iustus fiat, in imum deprimendo libertatem accipiat, miserum reputando beatitudinem reperiat, Nam aliena nempe diuina nos sapientia sapientes esse, iusticia iustos, libertate liberos, fœlicitate beatos, propria uero sapientia id est falsa ueræ sapientię persuasione, quam Iacobus animalem, Paulus carnis sapientiam adpellauit, nos desipere, iustitia damnari, libertate seruos, fœlicitate miseros esse Euangelica Apostolicaq;

doctrina

doctrina pronunciat. Id quod uere cognoscere, medullitus sentire, ardenter amare, ingens & immensum ipsius diuinæ sapientię munus esse credimus. Sed quia iam in mirabilem eius uirtutem cuius radiantia in Euangelio sydera contuemur, incidimus, ad ipsam illico sermonem conuertimus.

INestimabilem spiritalis diuinæq; sapientiæ uirtutem, qua uos potissimum præstare decet P. Amp. totius authorsapientiæ immo sapientia ipsa, dum iuxta Euangelicæ lectionis exordium Galyleum mare pertransiit, manifesta factorum suorum specie adumbrasse creditur. Nam cum ipsa diuini spiritus sapiētia uiam portumq; salutis ob oculos ponere, & comes ei ipsius prudentia spiritus, uitanda pericula indicare debeat, illius sane atq; huius munere ac uirtute, ut procellosum turbulentumq; præsentis uitæ statum illesis infractisq; animis trāseamus, fieri colligimus. Quamobrem si in immundæ libidinis aut noxiarum cupiditatum duram seruitutem & impiam tirannidem ceu scopulum incaute incidentes, naufragium facimus, aut quorumuis malorum procellis a uero rectoq; deiecti cedimus, cum omnem sapientem non modo liberum fortemq;, sed etiam regem esse deceat, uerum sapientiæ nomen cum re ipsa merito amittimus. Deinde seruator, dum sequentem se imperitam multitudinem non minus inuincibili q̄ inuisibili tractu allicit, sapientiæ uirtutem, sapientisq; munus esse docet, ut cū Paulo christum ipsum imitatus, aliis etiam se imitandum proponat, nihil ori familiarius, auribus gratius, animo deniq; amabilius, ipsius diuinæ sapientiæ eloquiis esse, uita moribusq; testetur. Insipientibus non sibi dumtaxat sapiat, & exemplo Christi qui signa super in-

firmis edidiſſe legitur , eorum'in fide imbecillitatem ſua uirtute adiuuet. Quid igitur de incomparabili eius energia iuxta Euangelium referam ? quæ cum uitiorum monſtris in hoc mare decertat , ueram in Euangelico progreſſu libertatem confert, Ingenti animum robore aduerſus malorum procellas confirmat, imitationis Chriſtianę leges & rationes præſcribit, per ſapientes & robuſtos in inſipientium & infirmorum animos ſe tranſfert, & ut Euangelium ſubindicat ueros Chriſti diſcipulos poſt Chriſtum ipſum in montem hoc eſt cœleſtium diuinarumq; rerum intelligentiam amorem guſtumq; prouehit. Nimirum ut olim ſanctum Loth in montem ſe recipere iuſſit , Moſen in monte præcari docuit, & legem obtinere fecit, Helyam in robore cibi diuinitus exhibiti in montem impulit, & ut ſuos quotidie pręſertim quibus rerum publicarum adminiſtratio incumbit , teſte Dauide a montibus æternis mirabiliter illuminat . Ibi iuxta Euangelicæ formam hyſtoriæ ſedem ſtabilit, quietem firmat, fœlicitatem ſtatuit. Qui enim in cœnoſa lubricaq; præſentium rerum ualle omnem cogitationem affectumq; defigit, is animum quem cœleſtis diuinęq; originis eſſe, & proinde hic neq; ſtabilem ſedem , nec firmã quietem, nec ſtatutam fœlicitatem habere nouimus, intolerabili profecto iniuria afficit. Quo fit ut dum ille diuini ſpiritus ſapiẽtia inſtructus, hic ſeſe peregrinari animaduertit, hebreorum ritu cuius Euangelium meminit, lętum tranſitum aſſidue celebret , atq; ab hac tenebroſa calamitoſaq; Egypto , ad terram promiſſionis id eſt a ſeruitute ad libertatem , a labore ad requiem ab exilio ad patriam, cogitatione & deſiderio alacriter emigret. Verum hinc nata de diuinæ fructu ſapientiæ diſſerendi occaſione ad proximam

Euangelii partem me confero.

QVod ſapientiam excisis ſeptem columnis hoc eſt pa-ratis multiformibus ſpiritalium munerum baſibus inſignem Eccleſiæ domum extruxiſſe, & communem in ea menſam propoſuiſſe legimus, id in ſeruatore hodierno ex-preſſum Euangelio uidemus. In quo præter immenſam di-uinæ munificentiæ magnitudinem, diſcipulorum incredu-litatẽ diffidentiãq; qua nihil diuini muneris ad ſalutẽ perci pi poteſt, notatã eſſe perſpicimus. Nam ut olim uſq; adeo apud uetus illud hebreorũ genus malicia & impietas inua-luit, ut deum immortalẽ tentando dicere non metuerent. Nunquid panem poterit dare aut parare menſam populo ſuo? Ita nimirũ ea fuit Apoſtolorũ adhuc in fide imbecilli-tas, ut diuinã Chriſti uirtutẽ paucitate panũ impediri poſ-ſe arbitrarẽtur. Sed cũ neq; illorũ ſacrilega infidelitas, neq; horũ tolerabilis infirmitas, fidẽ potentiãq; dei irritã effice re potuerint, cœleſte conuiuiũ Apoſtolicę creditũ diſpenſa tioni, Chriſtus dei ſapientia inſtituit, in quo Eccleſiarũ prę ſidibus Euangelicæ adminiſtrationis formã legẽq; præſcri pſit, dũ neq; mundanæ philoſophiæ manna, quod faſtidiũ generaſſe legitur, neç panẽ afflictionis aut formidinis hoc eſt uerbum diuinarũ cõminationũ quo territi fugiiſſe refe-runtur hebrei, nec laboris doloriſq; cibũ id eſt grauẽ onero ſamq; abſq; diuino munere legẽ, cuius pondere & anxii cor dis diffidentia premebantur, ſed panes propoſitionis om-niũ oculis ſemper conſpiciendos, id eſt uiuũ dei uerbũ, quo Euangelica promiſſa exprimũtur, multitudini propoſuit. Quod dũ peculiari Epiſcoporũ officio cui ſedulo iugiterq; incũbere debent adminiſtratur, credentiũ animos incredi-

bili suauitate allicere, mira lenitate exhilarare, ingenti erga deũ immortalẽ fiducia, magnoq; robore in ipsa diuini spiritus sapientia confirmare nouimus. Nã seruator uerba (inquit) quæ loquor uobis spiritus & uita sunt. Spiritũ itaq; & uitã quibus nominibus rebusq; nihil maius aut amabilius esse potest, ex ipsis Christi eloquiis Apostolico ministerio accipientes, adeo toti in ipsum Christum rapimur ac transsformamur, ut spretis mundi præsidiis & uoluptatibus, contẽptis humanarũ uirium fiduciis, neglectis philosophorũ dogmatibus, cũ Apostolorũ principe fidenter dicere possimus. Ad quẽ ibimus? uerba uitæ habes. Verba igitur uitæ ut hic orationẽ absoluã P. Amp. quibus seruatur in nobis ac nutritur diuini spiritus sapientia, ab immortali deo Apostolico uestroq; ministerio iure optimo expetimus. Nã ut nonnulla Apostolicæ dignitatis uestræ officia ex Euangelio attingã, uos in nauicula sua naucleros, in multitudine principes, in monte speculatores, ad mensam dispensatores, nobis Christus constituit. Vestri itaq; muneris erit efficere, ut uestra tũ sapientia tũ opera in mari Galyleo securi in multitudine non improbi, in monte tuti, in mensa deniq; restituti, seruari possimus. Et ut cũ sapiente illo concludã, si delectamini sedibus & sceptris o reges populi, (nã & uos reges esse non dubito) diligite sapientiã ut im perpetuũ regnetis. Te autẽ B.P. Deus Opt. Max. copiosum diuinæ sapientiæ fontẽ in medio paradisi hoc est Ecclesiæ præstantiũ uirtutũ liliis rosisq; septum, irrigantẽ uniuersam faciem terræ nobis erexit. Neq; enim regnũ est aut natio aut prouincia ad quã inexhaustas sapientiæ tuæ uenas, pro religione, pro Christiana Rep. & pace non extenderis, quibus regum animos penetrare, populorum mentes

conuertere, omniũ deniq; corda cõsolari, semper studuisti. Alta sunt quæ meditaris, difficilia quæ aggrederis, ardua & heroica quæ tractas & perficis, ad firmandos Christianorum principum animos, reuocandos sectarum authores, profligandos deniq; Christiani nominis hostes. Itaq; sicut diuinæ tuæ dignitatis erga Remp. Christianam beneficia & præclara incomparabilis sapientiæ tuæ officia, lętis gratisq; animis excipimus, ita eadem te in multos fœlicesq; annos superstite, principe / uictore / diuino munere nobis affulgere assidue seduloq; precamur.

EIVSDEM DE INSCRVTABILIBVS Viis Dei oratio Coram ipso Paulo . III. Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica .4. Aduentus anni. 1539. habita.

QVod ex prolatis hodie Iohannis & Æsayæ oraculis parandas nostri seruatoris uias audiuimus. B. P. id nō leui animos, aut questione, aut admiratione, merito excitare uidetur. Paulus namq; eximium Christiani nominis organū, qui spiritū illorꝫ sensumq; tenebat, inscrutabiles minimeq; inuestigabiles esse uias domini, Romanorū auribus inclamat. Quis igitur obsecro parabit quæ nulla prorsus ratione scrutari aut inuestigare potest? Quis exigua humani ingenii ui, quæ diuina cœloq; eminentiora sunt, attingere ualet? Cuius uix explicabilē rei modū soluere conabor, modo suas omnipotenti deo uias easq; incōprehensibiles esse persuasero. Hoc autē una dūtaxat ratione absoluā. Nunquid quem ambulare fateri cogimur, uias ei negare poterimus? Ambulabo inquit inter uos & ero uobis Deus uosq; eritis mihi populus. Ambulat siquidē deus ipse immotus, & omnia mouens, immutabilis & cuncta innouans, in se omniū plenus & omnia sese implens, se cunctis infuudens & uniuersa continens. Ambulat nimirū in consiliorū/studiorum/ operūq; suorū uiis, quas Iob ille unicū inter exteros religionis Christianæ lumen, mortaliū neminē scrutari posse affirmat. Id quod Esayas ipse sapiens & Ecclesiastes diuini numinis adflatu edocti pariter asseuerant, dū aluis immorta-

lis dei ſpiritũ & mentẽ, alius conſiliũ & uoluntatẽ, alius diuinorũ operũ omnẽ nos rationẽ latere prædicat. Si namq; homo reconditas hominis cogitationes inueſtigare nequit qua demũ ui archanas altiſſimasq; diuinę mentis uias penetrare poterit? Solus enim diuini numinis ſpiritus, omnipotentis dei uerbo, quod expreſſam ipſius imaginẽ noſtri dixere, ceu uiuifica luce humanã diuinis in rebus mentẽ illuſtrare ualet, Alioqui lux ipſa in rationis humanæ tenebris lucet, & tenebræ eam nõ cõprehendunt. Verũ ſicut anima ſenſitiua quã dicunt dũtaxat ui prædita, intellectiuæ uirtutis acceſſu ad rerũ intelligibiliũ cognitionẽ rapitur, ita nimirũ humana mens, ſuperiore per ſpiritũ lumine illuſtrata ad immortalis dei diuinarũq; rerũ intelligentiam eleuatur. Proinde Paulus ille gentiũ Apoſtolus. Nobis inquit reuelauit deus per ſpiritũ ſuũ. Neq; enim Moſes ille deo familiariſſimus niſi in abdito rupis foramine, id eſt ſpiritu & corde Chriſti, qui uerbũ & imago dei eſt, diuinæ maieſtatis ſpeciem intueri potuit. Quibus ex rebus omnẽ propoſitę quęſtionis difficultatẽ eneruatam ſublatãq; eſſe arbitror, dum quod humanis uiribus negare cogimur, diuini id ſpiritus muneri & uirtuti acceptũ referre diſcimus. Nã qui conſiliũ dei & uoluntatẽ nos latere aſſerit, idẽ quoq; ſpiritus ut ſalutarẽ perfectamq; eius erga nos uoluntatẽ probemus hortatur. Qui inſcrutabilem eſſe diuinorũ operũ rationem affirmat, is improbos ꝙ ea intelligere non ſtuduerint, acriter increpat. Qui deniq; in ſumma inexplicabiles immortalis dei uias eſſe docet, is nobis eas non modo inueſtigare uerũ etiam parare præcipit. Parare inq̃ ſed qua demum uirtute? Certæ non humanarum uirium ſuffragio, ſed diuini ſpiritus præſidio, At qua tandem ratione? profecto non præue

niendo, ſed ſubſequendo, non perficiendo ſed obtemperando, non mouendo ſed acquieſcendo. Porro quas Dei Opt. Max. uias? quæ eius in nobis (ſiquidem omnia in omnibus operatur) conſilia ſtudia & opera ſtatuimus? Æquiſſimi ſanæ iudicii & locupletiſſimæ bonitatis, de quibus in Euangelio immenſum mihi pælagus patere conſpicio.

NOn abs re Lucam diuini luminis ſplẽdore perfuſum, dum inſcrutabiles ſeruatoris noſtri uias commemoraret. P. Amp. Romani illius Imperii quo nihil ſol unq̃ latius aut illuſtrius uidit, principumq; eius meminiſſe exiſtimo. Quippe in quibus deum immortalẽ cuius immutabili conſilio & nutu omnia fiunt, mirabiles decretorum uias conſtituiſſe, atq; immobili in eis potentia ambulaſſe cũ ex ſacris tũ ex prophanis annalibus colligere poſſumus. Quid enim obſecro illos abſq; numine potẽtiſſimo, & diuino impetu adeo pręclara & memoratu digna omni ſęculo facinora peregiſſe, & cõſpicuum ſpacioſumq; imperium, quod cœtera orbis regna contriuiſſe legitur, ſibi paraſſe aſſeruerit. Quæ omnia deum ipſum mirabiliter in eis geſſiſſe credimus, ut ſuperiorem regnis omnibus imperii ſui & potentiæ magnitudinem, ſiue pro iudicii ſeueritate ſiue clementiæ lenitate, nationibus cunctis & ſeculis patefaceret. Et ut ad noſtra proximius accedã. Nonne Deus Opt. Max. in ipſius Romani Imperii tetrarchis atq; præſidibus incõprehenſibiles iudiciorum uias cõſtituit dum eos in uitali nece Chriſti ſui numinis organa eſſe uoluit? Sic namq; fortiſſimi illi inuictiſſimiq; ueritatis Euangelicæ præcones Apoſtoli, illos aduerſus dei filium, quæ inuincibili ipſe manu conſilioq; fieri decreuerat, perfeciſſe teſtantur. Sic diuiniſſimus ille Iob

mirabile

mirabile omnipotentis dei iudicium,& omnium in animis potentissimum numen exprimens. Qui tradit inquit consiliarios in stultum finem & iudices in stuporem, qui cōmutat cor principū terrę & decipit eos ut frustra incedant per inuium. Verum longius ac statueram expaciatus, tandem operæ precium esse uideo, ut eandem quoq; sententiam in sacro Episcoporum ordine, cuius Euangelium meminit cōfirmare studeā. Quod ut faciam uos obsecro P. Amp. deum Optimū Maximū qui purissima lux & sanctissima ueritas est, ad explicandas iudiciorum suorū uias, spiritū mendacii in ore omniū prophetarū dedisse, & uatem ab impio ad diuina oracula submissum, clara ueritatis luce destituisse animaduertite. Quem & Paulus ipse iis qui oblatam Christi munere ueritatem atq; salutem auersantur, per fallaces impiorum dogmatum authores, illusionis efficaciam plęrūq; mittere testatur, ut pro ueritate errorē, pro charitate tirannidem, pro salute interitum, suo atq; illorum id exigēte merito recipiant. Vnde & filios illos Aaron qui alienum ignē altari imposuerant, diuinam pręsentiam testante uindicta consumptos extinctosq; legimus. Quorum infœlice admodū exitu, exterreri exanimariq; merito deberent, si qui forsan cęcitate mentis, diuini in se iudicii seueritatē exprimentes, prophana pro sacris, pro fide perfidiam, pro religione impietatem, pro pietate sacrilegium, aut legibus statuere aut e cathedris producere nō uererentur. Impios nimirum sacrilegosq; Annam & Caypham referentes aut certe uincētes, quos deus omnipotens amentia & furore percussos, sic iræ suæ uasa esse uoluit, ut tamen pestilentem eorū perfidiam & sacrilegam impietatem, ad parandam suorū fidem atq; salutem converteret. Id quod ad inscrutabiles diuinę

bonitatis uias, quas in proxima Euangelii parte elucescere uideo, attinere facile animaduertimus.

CVm innumera sint quæ ad altissimas diuinæ benigni tatis uias pertineant P. Amp. Lucas pauca quidē sed inestimabilia incōparabiliaq; cōmemorat. Inter quæ uiuū illud & incōprehensibile dei Opt. Max. uerbū, quod Iohannem cœterosq; uates transformasse perhibetur, omnium primum iure constituit. Quid enim aliud est (ut inexplicabiles eius alias tum partes tum uirtutes prætercam) quod merentes animos exhilarare, deiectos erigere, languidos firmare, mortuos uitæ restituere possit? Neq; enim primus ille humani generis propagator, accepta damnationis mortisq; sententia nisi Euangelica plane conterendi serpentis pollicitatione roboratus, intolerabilem dei seuientis iram sustinere potuisset. Neq; Nohe ipsius seruati generis parens, nisi perpetui inuiolabilisq; fœderis uerbo stabilitus, in ipsius uindicantis dei cōspectu subsistere ualuisset. Quid referam de patre multarum gentium Abraham? qui nisi diuina benedictione in amplissimam ęternæ mercedis spem erectus, neq; tot malorum generibus sese obiicere, neq; difficillima quęq; aggredi tentasset. Quid de Dauide propheta regio? qui iuncto formicationi homicidio, diuinę cōminationis terrore perculsus, nisi translati sceleris oraculo restitutus animum protinus abiecisset. Nos præterea grauissimæ disperationis moli succumbere oporteret, nisi diffidentibus alioqui animis certam salutis expectationē immobile dei uerbum ingeneraret. Quo in nobis ipse ambulans quid aliud quæso q̄ summam ineffabilemq; benignitatem, cum multiformi incōprehensibilium operum genere

nobis inspirat. Nam ut Euangelicæ lectionis ordinem prosequamur, ipse in nobis quos sacrosanctam sibi Ecclesiam delegit, dum integris ad eum animis assurgimus, obliqua dirigere, humilia subleuare, sublimia deprimere, praua componere, aspera polire, & omnia sursum deorsumq; uersare non desinit, donec suam in nos mentem spiritum & opera transfuderit, nostrasq; infœlicissimas uias suis fœliciter cōmutauerit. Has autem iucundissimas fœlicissimasq; Dei Opt. Max. uias ipsi nobisq; unius spiritus iure communes, uobis P. Amp. ducibus alacriter peragrare debemus. Verum quod ab eis omnes in suas quemq; semitas, hoc est, impia pernitiosaq; studia declinauisse plerisq; uaticiniis prenunciatum legimus, id nostro potissimum tempore inq; nobis ipsis completum cernimus. Nam fides quæ aliquando lubrica dumtaxat nutauit, ociosa nunc mortuaq; apud nos iacet, Religio quę imbecilla uacillauit, impietate obruta succubuit, Euangelicus uigor qui infirmus adhuc respirabat, extinctus cecidit, Christianæ deniq; uirtutis robur quod debilitatum languit, prostratum prorsus fractumq; euanuit, Qua maxima in fidei morumq; ruina Christus a uobis quibus Ecclesiam cruore quæsitam credidit, eam doctrinæ uitæq; integritatem exigit, qua & imminentem primum eius sacrario cladem auertere, & errantem pereuntemq; gregem, cuius tum salutem tum sanguinem in manu habetis, in uias & pascua uitæ reducere studeatis. In te autem. B. P. ut Christianæ Reip. ruinas & naufragia e nostrarum impietatum abhominationumq; tum meritis tum exemplis nata, pro tua diuina dignitate & sapientissimi animi fœlicitate repares, spem omnē reposuimus. Te namq; Christus ipse pastorum suorū principem in Ecclesia sancta

constituit, ut cœlestis in te uia ueritas & uita quæ ipse est, non tam gregi q̃ pastoribus ipsis aliquando reluceat. Te Deus Opt. Max. principium nobis uiarum suarum esse uoluit, ut quo diuinior est principatus tuus, eo diuinius rerum tuarum immo nostrarum successus, neq; a fortunæ ludibrio, neq; a communis naturæ uicibus pendentes in te ipse ambulans suo numine dirigat. Quo transformatus ut te uerum optimumq; principem hoc est quendam orbi Christiano solem, quendam corpori Ecclesiastico animum præstare, & Helyam ac Danielem non tam aduersus exterorum perfidiam q̃ domesticorum sacrilegam abhominationem pro Rep. legibus & aris referre non desinas, Deus ipse sanctissimis consiliorum factorumq; tuorum uiis assidua cœlestis sapientiæ luce affulgeat.

EIVSDEM DE FÆCVNDA ECCLESIÆ Sterilitate oratio Coram ipso Paulo. III. Pont. Max. & Reuerendissimorum Cardinalium consessu, Dominica .4. Quadragesimæ anni. 1540. habita.

SI unq̃ ego in hoc cum celeberrimo Apostolici ordinis consessu, tum sanctissimo tuæ maiestatis cōspectu uerba facturus, imbecillitati meæ aut lapsui ueniam precari debui B. P. id certe mihi hodie de fœcūda Ecclesiæ sterilitate Apostolicis Euangelicisq; literis confirmata dicturo, merito faciendum iudicaui. Atq; Deum Opt. Max. multo ardentissimis uotis sollicitandum existimaui, ne quod uerbum quod purissimis maximorū procerum auribus molestiam, aut fidei pietatiq; offensionem pariat, in linguam mētem ue incidat. Qua etenim ratione sterilitas fœcunditasq; res profecto sibi inuicem mirum in modum aduersæ, in uno seruatoris nostri corpore Ecclesia, uno prætęrea Ecclesiæ mēbro homine, una deniq; hominis parte animo, coeant, ingenio complecti & oratione consequi difficillimum putaui. Hac igitur de re admodum graui atq; copiosa nō omnia attingere, sed pro dicendorum summa, qui diuini muneris beneficio in unam Christi Ecclesiam coaluere, omnes ad generādam in se aliisue spiritaliū uirtutū propaginē natura esse steriles, & aliena nēpe diuina opus habere fœcunditate, Paucis demōstrare statui. Nam si eos dumtaxat esse homines, ab omni diuina ui & uirtute uacuos, atq; ab incunte ętate ad malum propensos animaduertimus, ac diui

nitatem quæ ueros Ecclesię filios decet, mente & cogitatione secludimus, nihil profecto in eis extra infœlicissimã sterilitatem comperimus. Si enim qui præter hominem nihil prętant, & corporis magis uiribus q̃ animi industria & uirtute excellunt, eos ualentes homines ueri illi Romanæ linguæ principes dixere, nos in quibus natiuam solum naturæ dignitatem, eamq; nullo alio diuinę lucis radio perfusam consideramus, eos dumtaxat homines ad ingenerandum sibi aut aliis diuinum aliquod bonum imbecilles merito dixerimus. Nam nihil omnino rerũ esse nouimus, quod ruptis naturæ suæ limitibus, ac mutata genuina procliuitate ceu extincto naturæ incendio, uires aut altius ferre aut longius extendere possit. Cuius rei clarior adhuc ratio ceu imago quædam atq; stella in oculos mentis incurrit. Nunquid obsecro caro quam dicunt, eminentem spiritum, terra cœlestem animum, uanitas solidissimã nempe ex deo genitam creaturam, ex se proferre potest? Hominẽ uero carnem, in qua immortalis dei spiritus non maneat, terrã quæ cœlestem animum non pariat, uanitatem ex qua non nisi quod nihil sit, prodeat, in diuinis literis descriptũ legimus. Quicquid igitur ex sola humanarum uirium fœcunditate nascitur, carnem non spiritum, terram non cœlum, uanitatem adeoq; nihil esse fateamur oportet. Nam tametsi quosdam ad ciuiles humanasq; uirtutes suopte ingenio tũ propensos tum exhortatores natura formauit, quę tamen nos deo Opt. Max. cõmendent, & ad summam fœlicitatem capessendam instituant, earum nulla mortalium animis semina infudit. Quis enim usq; adeo a sensu menteq; decesserit, ut deum ipsum nõ alia cœlestium & diuinarum q̃ ciuilium humanarumq; rerum ordinem ratione & lege administra-

re asseueret? Id quod haud dubie faceret, si diuinas ad animorum, perinde atq; humanas ad rerum publicarum institutionem attinentes uirtutes, earumq; officia, sola naturæ ui parari posse concessisset. Neq; mihi quispiam primos parentes diuinæ participes imaginis & similitudinis, quæ ad perficiendum diuinum bonũ suffecerat, ab immortali deo conditos obiiciat. Quasi uero illa non usq; adeo obliterata deletaq; sit, ut nisi spiritali regeneratione instauretur, posteri uix ulla eius lineamenta reliqua sentiant. Quippe qui lucem caligine, uirtutẽ imbecillitate, totius ueri boni amorem odio pernicioso infœliciter commutauerint. Quamobrem si nos aliosue deorsum in humanarum rerum diffidentiam præcipitamus, si sursum in cœlestium rerum amorem rapimus, si a sinistris insurgentibus malorum procellis in fide seruamus, si a dextris ex animi sententia cunctis succedentibus ab insolentia illesos tuemur, id omne diuini numinis fœcunditati acceptum referre debemus. Ex hac Ecclesiam cum ingenti liberorũ propagine & quamcunq; in ea fidei religionis, aliorumq; diuinorum munerum & operum segetem prodiisse fatemur. Ipse enim deus, ipse deus Opt. Max. est, qui Ecclesiam ipsam suo adflatu fœcundat, & alioqui sterilem (ut regii psaltis uerba huc accõmodem) matrem filiorum lętãtem efficit. Quæ quo natura sterilior, eo spiritu fœcundior, quo indigentior, eo locupletior, quo imbecillior eo potentior esse dignoscitur. Nam humana sterilitate diuina fœcunditas, egestate satietas, imbecillitate potestas, clarior illustriorq; euadit. Itaq; huius diuini muneris non humanarum uirium pręsidio & fidutia gentium doctor erectus, se Corinthios Euangelio genuisse, alios donec Christus in eis formetur parturire, omnia deniq; ipsius

se Christi fortitudine roboratum posse affirmat. Qui alio qui nihil se esse confessus diuinæ uirtutis fœcunditati quæ sola rebus incrementum affert, omnem rerum gestarũ gloriam assignat. Si enim magnæ molis erat romanam & quidem breui tempore imperaturam ciuilibus legibus condere gentem, Christianam certe Remp. cuius æternum esset imperium, diuinis institutis in dies formare, seseq; aut alios in ea conscribere, multo maximum & heroicum opus, diuinæq; fœcunditatis partum iure dixerimus. Sexcenta sunt quæ si ocium supersit in hanc sententiam argumenta proferam, Sed angustia temporis exclusus, reliquum operę precium fore existimo si cœptum ea de re sermonem ad producta hodie mysteria contulero.

QVo diuinę lucis fulgore duo illa clarissima Christianę Reip. lumina Iohannes & Paulus, fœcundam Ecclesiæ sterilitatem illustrent P. Amp. si eorum pondera uerborum perpenderimus, perspicuum satis fore arbitror. Quid namq; huius imprimis allegoria clarius aut insignius, qui rem omnem duarum matrum imagine nobis ceu sub oculos constituit? Ecclesia enim quam mulierem eamq; parentem nostri fecere, dum adhuc ab immortalis dei & omnium seruatoris fide ac religione aliena erraret, instar Agar quæ peregrina & aduena dicitur, perniciosa humanarũ uirium fœcunditate, carnis non spiritus, legis non promissionis, seruitutis non adoptionis filios, eosq; a cœlesti hereditate extorres peperit. Cum uero ab inanibus naturæ pręsidiis, ad diuini muneris quo solo salutem adsequimur fiduciam translata est, exẽplo Sarrę quę princeps & domina nuncupatur, sterilis atq; ideo suis diffisa uiribus mutata generãdi

ratione

ratione spiritus non carnis promissionis nõ legis adoptionis non seruitutis liberos immo principes & reges ædere cœpit. Nam quamobrem non principes & reges merito dixerim, quos deus Opt. Max. sua uirtute genitos, & in ius dignitatemq; filiorum ascitos omni malorum pondere superiores effecit? Qui enim ipsi Sarrę promissa prole uterum ingressus infantem formauit ipse Ecclesiam & plurimam in ea sobolem sui numinis & spiritus fœcunditate generauit. Quo circa Christus totius in Ecclesia fœcunditatis origo, ut Iohannis Euangelium attingam, trans Galyleum mare secedens, ut cœlestis nobis aliisue partus diuinitus innascatur, contemnenda humanarum uirium suffragia, & uirtutis diuinæ prę sidiis commutanda docuit. Sed ad Paulum ipsum redeo cui perspicuam totius rei effigiem depinxisse sat non fuit, nisi eam irrefragibili Esayæ uaticinio confirmatam faceret. Lętare inquit sterilis quæ nõ paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis q̃ eius quę habet uirum. O rem admirabilem atq; omnium laude, prę conio, literis, monumentisq; decorandam. Natura fœcundam & ueteri quem dicunt homini ceu marito iunctam legitimis filiis destitui, sterilem uero uiduamq; copiosa liberorum propagine, quæ uerum parentem deum referat, locupletari.. In cuius rei typum numerosam multitudinem cõtemptis suis omnibus soli salutis authori adhesisse apud Iohannem hodie legimus. Proinde Ecclesia ipsa suę sterilitatis conscia, & occultam filiorum originem admirata: Ego inquit, sterilis & non pariens, & quis genuit mihi istos? Quemadmodum enim cœlum demissis imbribus terram granumq; in ea reconditum, inebriat & germinare facit, ita deus ipse æternum uiuumq; uerbũ ceu diuinum semen, in humana mente uelut, infœcunda hu-

imo, suo fœcundatum adflatu, in nouam cœlestemq; & diuina insignem imagine creaturam educit. Verum de maxima amplissimaq; matris dignitate quid referam? Quam Paulus ipse Hierusalem, eamq; supernam & liberam appellare nō dubitauit. Quid de ea gloriosius dicere potuit? Ipsa namq; ueram pacem qua nihil iucundius, cœlestium rerum amorem quo nihil diuinius, libertatem deniq; qua nihil fœlicius, immortalis dei beneficio acceptam suo filiis ministerio impartit. In cuius rei formam, seruatorem quos sibi Ecclesiæq; liberos generat, in montem securitatis, celsitudinis, & libertatis indicē, diuinitus traxisse, & cœlestes deosq; iam factos, non tam corporum q̄ animorum cibo nimirum seipso, qui immortalis uitæ panis est, Iohannes refecisse commemorat. Verum ne longius expacietur oratio, quæ hactenus de fœcunda Ecclesiæ sterilitate in medium produxi, ad hoc caput referenda iudicaui P. Amp. ut omnem ueri diuiniq; boni sterilitatem nobis, fœcunditatem uero uni Deo Opt. Max. ascribendam arbitremur. Sed prohdolor extra hanc quam spiramus auram, & quas accepimus corporis animiq; dotes, in plęrisq; nostrum uix ullum diuini boni simulacrum conspicitur. Vix aliquid uerorum Ecclesiæ pręsidum præter uestitum externosq; ritus Christianorum præter lauacrum & inanem professionis titulum. Hominum deniq; præter figuram & speciem cernitur. Huc accedit q̄ qui diuinas aliis leges de rebus capitalibus non modo in æs, sed maxime in animos incidendas pręscriberemus, eas prodigiosis scelerum monstris funditus subuertimus. Nimirum dum sua fere quemq; ambitio libido cupiditasq; de sanitate & mente deturbat, & in ea calamitate constituit, ut uix ullam uerę germanęq; erga deum pietatis, & proximum charitatis, iusticięq; solidam expres-

ſamq; effigiem teneat. Hanc bonorum ſterilitatem, malorumq; omnium ſentinam, diuini iudicii & renunciandę aliquando Apoſtolicæ legationis metus emendandam ſuaderet. Sed præter hoc in omni ſemper Rep. prouiſum meminiſſe debemus, ne ſicut pulcherrimum fuit aliquam in ea dignitatis gloriam conſequi, ita turpiſſimũ ſit eam per ignauiam aut improbos mores tueri & conſeruare non poſſe. Quamobrem abs te. B. P. quem deus Opt. Max. poſt Chriſtum nobis parentem eſſe uoluit, iure expetimus, ut prę ſentem temporum & rerum calamitatem aliquando reſpicias, & ſicut Chriſtus ipſe maximam ad ſe multitudinem uenire conſpexit, ita nimirum tu eam a fide religione & ſanctitate deficere animaduertas Chriſtiana enim Reſpublica non tam urbium & regionum direptione per exteros, q̃ morum corruptione per domeſticos, in anguſtum contracta cernitur, dum eam nos qui populum & filios dei nos eſſe gloriamur, e uera & fœcunda uitæ, quę Chriſtus eſt exciſi, & a patre degeneres facti, uita & moribus imminuimus. Quare ut eam ſumma Apoſtolicæ adminiſtrationis tum authoritate/ad fidei uitęq; integritaté reuocare, tum fœcunditate propagare & augere non deſinas, ſedulo iugiterq; precamur. Ad quod diuinæ dignitatis tuæ munus, omnipotentis Dei & ſeruatoris gloria, ipſius Chriſtianæ Reip. incolumitas atq; ſalus, & immortale nominis tui monumentum merito te animauerint.

Laus Deo.

❡ Venetiis, in ædibus Franciſci Bindonei,
& Maphei Paſinei, menſe Auguſti,
Anno a uirginis partu. 1540.